Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Historia Doctrinae De Statv Animarvm Separatarvm

Halae Magdeburgicae: Prelo Io. Christiani Hendelii, [1754?]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0001
DFG

a. B.
48. 6 S. 11.

63.

Fa 1092 (63.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0002
DFG

1. Knapp de raptu et cruce Pauli disert. prior
2. Knapp disert. posterior.
3. Rambach de majestate Christi divina.
4. Callenbergii historia ecclesiae orientalis recentior I.
5. Callenbergii histor. eccles. orient II.
6. Michaelis de sapientia Christi.
7. Baumgarten de statu animarum separatarum.
8. Baumgarten de fuga christianorum.
9. Fecht de forma catecheseos paulinae.
10. Walchs Erweckungs Rede der Salzburgischen Emigranten.
11. Reinbecks Geheimniß der Geburth Christi.
12 Baumgarten de omnipraesentiae vera notione.
13. Ελεγχος spiritus sancti.
14. Carpzov de λογω Philonis
15. Rusius de veris sinceri sectatoris Christi requisitis.
16. Walchius de Lollardis saec. XIIII. testibus veritatis.
17. Resurrectionis Christi scopus.
18. Carpovii program. pentecostale.
19. Buddeus de unctione sacra N. Test.
20. Wernsdorfius de mystica Theologia.
21. Freylinghausen exercitatio exegetico-philolo: ad psalmum XVI.
22. Pastores bethlehemitici
23. Boehmer program: sacrum
25 Michaelis demonstravit quod substitutio vicaria in opere redemtionis non adversetur perfectionibus Dei.
26. De falsis fictisque religionibus.
27. Rus de introductione in n. Test. generali.
28. Ihle de nominibus quibusdam vet. et nov. Test.
41. Georgius de b. Lutheri versione bibliorum
42. Verordnung, in wie weit geistl. Versamlungen ausser den öffentl. Ordinst Erbauungen halten können.
29. Freylinghausen. de cautionibus quibusdam, quas probationes dogmatum theologicorum etc.
30. Baumgarten de immortalitate Christi et christianorum
31. Baumgarten de iconolatria christianorum idololatrica.
32. Michaelis de liminibus syriacis.
33. Stiberitz de arca foederis ordinaria columnae nubis et ignis sede.
34 Michaelis ferias paschales religiose custodiendas. de statu animae Christi etc.

35. Gasserius vltima fata noachi ett.

36. Jampert. Foedum effectu respirationis non carere demonstrat.

37. Juncker. de vera morborum diagnosi etc.

38. Büchnerus de analysi phosphori vrinae.

39. Juncker de Chymificatione.

40. Struensee de incongrui corporis motus insalubritate.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0004
DFG

HISTORIA DOCTRINAE DE STATV ANIMARVM SEPARATARVM.

QVAM

SVB SVMMI NVMINIS AVSPICIIS,

PRAESIDE

VIRO SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO,

DN. SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN,

S. S. THEOL. DOCT. ET PROFESS. FAMIGERATISSIMO,

SEMINARII THEOLOGICI DIRECTORE, REGIORVMQVE ALVMNORVM EPHORO GRAVISSIMO ET ACAD. SCIENT. BEROL. REG. MEMBRO DIGNISSIMO,

PRAECEPTORE SVO PLANE INCOMPARABILI, FAVTORE AD VLTIMVM VSQVE VITAE HALITVM PIA MENTE COLENDO,

IN REGIA FRIDERICIANA,

AD DIEM IANVAR. MDCCLIIII.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ATQVE RESPONDENS

M. BERNARDVS GEORGIVS DRECKMANN,

LIPPIA-GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

PRELO IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0005

DFG

VIRO SVMME VENERABILI
EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO
DOMINO
DOMINO GOTTHILF AVGVST. FRANCKE
S. S. THEOLOGIAE DOCTORI, ORDINIS THEOLOGORVM SENIORI, PAEDAGOGII REGII ET ORPHANOTROPHEI DIRECTORI, DIOECESEOS SALANAE INSPECTORI, MINISTERII HALENSIS SENIORI, TEMPLI B. V. SACRI CONCIONATORI, ET SOCIETATIS ANGLICAE DE PROMOVENDA COGNITIONE CHRISTI MEMBRO.

VIRO SVMME VENERABILI
EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO
DOMINO
DOMINO SIGISMVNDO IACOBO BAVMGARTEN
SACROSANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO, SEMINARII THEOLOGICI DIRECTORI, MENSARVM REGIARVM EPHORO ET ACADEMIAE SCIENTIARVM REGIAE BEROLINENSIS MEMBRO.

ET

VIRO SVMME VENERABILI
EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO
DOMINO
DOMINO IOANNI GEORGIO KNAPP
SACROSANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI ET PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0007
DFG

ET
VIRO MAXIME REVERENDO
AMPLISSIMO DOCTISSIMO
DOMINO
DOMINO IOANNI GABRIELI DRECKMANN
REVERENDI MINISTERII LIPPSTADIENSIS SENIORI, TEMPLI CATHEDRALIS PASTORI PRIMARIO ET GYMNASII, QVOD IBIDEM FLORET, INSPECTORI.

PATRONIS ET PRAECEPTORIBVS MAXIMIS
PARENTI OPTIMO

HANC DISSERTATIONEM
CVM ARDENTISSIMO OMNIGENAE FELICITATIS VOTO

D. D. D.

NOMINVM TANTORVM

Cultor perpetuus
AVCTOR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0008
DFG

PRAEFAMEN.

Obferimus tibi, b. L. diſſertationem noſtram, in qua hiſtoriam doctrinae de ſtatu animarum ſeparatarum delineauimus. Exhibemus rem quidem iucundam; ſed et arduam ſatis atque adeo praegnantem, vt grandioris ſtaturae librum conficere poſſet haec hiſtoria, ſi fuſius traderetur. Si enim vlla vmquam doctrina variis fatis hominumque ſententiis fuit expoſita, certum eſt, hanc doctrinam ad illarum numerum poſſe referri. Populi terrarum in innumeras

fere abierunt sententias, si explicare illis licuit, quid de statu animarum futuro arbitrentur, et illi saepius absurdissimis indulserunt opinionibus, quos ex sacris litteris meliora edoctos existimares. Quam amplus igitur pateret campus, in quem excurrere nostra dissertatio posset, si haec omnia prolixius tractare, apud animum constituissemus. At eo animo non adgressi sumus hunc laborem, vt librum exhiberemus, sed vt intra dissertationis fines, quidquid scribendum esset, detineretur, hic fuit animus, haec intentio nostra. Interim, licet omnia a nobis breuiter explicata sint, nihil tamen, quantum nobis conscii sumus, praetermisimus, quod ad historiam huius doctrinae pertinere nobis visum fuit. Totam historiam quinque capitibus absoluimus, in quorum primo de mortalitate animae; in secundo de animae somno, in tertio de statu animarum medio; in quarto de μετεμψυχωσει, et in quinto denique de loco, in quo animae corporibus exutae degunt, historia exhibetur. Aliorum sententias enarrauimus, quas ex nobis met ipsis fingere, non licuit, consulendos igitur duximus probatae fidei scriptores, quorum fontes in ipsa dissertatione diligenter adlegatos inuenies. Et hoc est, quod tecum in dissertationis limine communicare, placuit. Restat, vt dissertationem nostram, qualiscunque etiam sit, beneuolo tuo iudicio permittamus.

CAPVT

CAPVT I.

QVOD

ILLOS ENARRAT, QVI ANIMARVM PROPVGNARVNT MORTALITATEM.

§. I.



Incipimus igitur a nefando illorum errore, qui tam male mentibus noſtris ominati ſunt, vt illas cum corporibus interire atque adnihilari ſtatuerint. Dubitari merito poſſet, fuiſſe et dari adhuc eiusmodi homines, qui tam abiecte de ſemet ipſis cogitarunt, vt homini eadem cum brutis animantibus fata deſignauerint, niſi hiſtoria tam ſacra quam profana permultis immo innumeris teſtimoniis id daret euictum. *Introitus.*

§. II.

Peſtiferum hoc dogma non detineri potuit intra gentilismi fines, ſed veluti diffluens amnis et per Iudaeorum et Chriſtianorum ciuitatem longius latiusque ſeſe diffudit. Cauſſas tantae fermentationis expendere atque inueſtigare, non *Continuatur.*

non permittit instituti nostri ratio. Fortasse autem ex longinquo peti non debent. Facile enim sibi persuadent homines, quod esse malunt. Et multi eam ob caussam animarum negant immortalitatem, ne ipsis futurum illarum statum considerantibus animi securitas subtrahatur. Interim tamen non miramur, quod gentiles adtinet, si illos tam secure animis nostris interitum decreuisse legimus, cum doctrinae illorum, mitius de mentibus existimare, non permiserint. Qua de re autem seorsim loquemur.

§. III.

Origo huius erroris. Si Iudaeorum commentis fides esset habenda, Cainus omnium primus exstitit, qui coram Abele, animarum immortalitatem adserente, negauit: animas post corporis mortem esse superstites. Sed dudum obseruarunt viri eruditi, hoc Caini et Abelis colloquium, quod in paraphrasi Hierosolymitana, ad Genes. IV, 8. nobis exhibetur, in gratiam Pharisaeorum a paraphraseos auctore insertum esse *a*). Certiora quaerimus, et tutius esse arbitramur, in peruersis gentilium de anima placitis originem huius erroris indagare.

a) Vid. BVDDEI Programma *de resurrectione*, et AVG. PFEIFFERI differt. *de colloquio Caini cum Abele.* Quia Iudaei credunt, Abelem propter hanc de immortalitate doctrinam a Caino occisum esse, vulgo etiam pro primo martyre habetur.

§. IIII.

Gentilium sententia summatim iudicatur. Si gentilium praecepta de mentibus humanis iusta lance ponderamus, omnes nobis parum bene de illis statuisse videntur *a*), et licet multi propius accedant ad veram de immortalitate doctrinam, omnes tamen reuera illam negasse, et secundum praecepta illorum etiam debuisse nega-

negare, iure existimamus. Si interim multum largimur, animae incorruptibilitatem adseruerunt, quae tantum abest, vt immortalitatem illius absoluat. Anima enim incorruptibilis esse potest, licet non sit immortalis; ad immortalitatem vero incorruptibilitas necessario requiritur. Permiscuerunt igitur gentiles animarum incorruptibilitatem cum illarum immortalitate, et id, quod incorruptibile, immortale dixerunt.

a) Saltem ex principiis illorum philosophicis non fluit animae immortalitas, probabiliter licet ex theologia illorum naturali.

§. V.

Speciatim philosophorum barbarorum et Platonis.

Ne autem gentilibus aliquid sine ratione imputemus, examinandum erit, quid illi de anima statuerint. Philosophi, qui barbari vocantur, docuerunt animarum emanationem ex Deo, per Deum vero mundi animam intellexerunt, in illam reuerti animas hominum, inque eo consistere illarum immortalitatem arbitrati sunt. Huic sententiae deinceps subscripsit Plato, et licet distinguat mundi animam, quae omnium animarum fons sit, ab ipso Deo, illa tamen ab ipso ad tres hypostases refertur, *a*) ex quo idem sequitur absurdum, quod ex barbarorum sententia fluit.

a) Ad tres illas hypostases referebat Plato primo summum Deum, secundo, mentem ex Deo natam, tertio, mundi animam. vid. quae fusius disputat. S.V. IO. GEORG. WALCHIVS *in lexico philosophico* pag. 2264. seqq.

§. VI.

Aristotelis.

Dubitant adhuc multi, an summus Aristoteles animarum immortalitatem negauerit. Dantur, qui adfirmant, illum credidisse animarum immortalitatem, sed dantur etiam, qui satis euicisse videntur, illum animae humanae male esse ominatum *a*). Distinxit autem hic Stagirita inter νοῦν atque

ψυχην, hanc omnibus hominibus propriam sed mortalem esse, docuit, νων vero esse vnicum per omnes homines diffusum, illumque immortalem. Huic accedit illius effatum, quod lib. III. cap IX. ad Nicomachum deprehenditur. Φοβερωτατον, inquit, ο θανατος, περας γαρ, και ουδεν τε ετῳ τεθνεωτι δοκει ουτε αγαθον ουτε κακον.

a) v. WALCHIVS illos allegat in lib. cit. pag. 2315. seqq.

§. VII.

Et discipulorum illius.

Si praeterea ex discipulorum et adsectarum illius doctrina aliquid coniicere licet, certum est: hunc Peripateticorum principem animarum perennitatem negasse. Huc pertinet Alexander Aphrodisaeus strenuus Aristotelis sectator, qui: immortalitatis defensores tam temere mentiri, dixit, ac si quis, bis duo, dicat, esse quinque *a*). Addimus Auerroëm, saeculi duodecimi philosophum, qui ita expressit Aristolem, vt illius animam Aristotelis animam fuisse, dixerint, sed hic animae immortalitatem strenue negauit *b*). Petrus Pomponatius, Bononiae Aristotelis et Auerrois praecepta tradens publice ostendit: ex horum philosophorum principiis animae interitum fluere, illiusque immortalitatem minime ex illis posse probari *c*). Interim tamen Aristotelis auctoritas tam multos seduxit, vt pestiferum hoc dogma per Arabiam et Italiam penetrauerit, et ita quidem, vt Pontifex romanus per bullam d. XIX Decembris MDLXXIII publicatam resistere necessarium duxerit *d*).

a) vid. Ven. BRVCKERI *hist. philos.* tom. 2. pag. 481.
b) WALCHIVS in lib. cit. pag. 2317.
c) Ven BRVCKERVS in lib. cit. tom. 4. pag. 162. Qui interim ex eo efficere volunt, ipsum Pomponatium animarum immortalitatem in dubium vocasse, errare videntur, siquidem ipse professus est, credere animarum immortalitatem secundum scriptu-

ſcripturam, ſed negare illam ſecundum Ariſtotelem, in lib. de immort. animae.

d) WALCHIVS lib. cit. pag. 2317. Quod alii de Ariſtotele moribundo coram diſcipulis de animarum immortalitate, a Iudaeis accepta, diſſerente, perhibent, firmis deſtituitur argumentis. Vid. PFANNERI *ſyſt. theol. gentilis* pag. 461.

§. VIII.

Stoicorum ſententia indicatur.

Pergimus ad ſcholas Stoicorum, qui etiam, animam mundi animae particulam eſſe, docuerunt. Per mundi vero animam, non aliquid a Deo diſiunctum, vt Plato, ſed ipſum Deum intellexerunt, in quem illae, quas praeterea putarunt materiales, poſt mortem corporis regrederentur. Non omnes interim, animas ſtatim corpore relicto interire, crediderunt *a*), ſed maxima illorum pars, longaeuas eſſe, et ad exuſtionem vsque mundi perdurare, ſtatuit, quod CICERONIS *b*), DIOGENIS LAERTII *c*), et Epiphanii teſtimonia ſatis euincunt *d*). Non deſunt tamen, qui hunc honorem ſapientibus tantum adſignarunt, vt CHRYSIPPVS, quod ex PLVTARCHI teſtimonio luculentius adhuc adparet *e*).

a) quod Epictetus adſeruit.

b) CICERO *Quaeſt. tuſc.* lib. I. Diu manſuros eſſe animos aiunt, ſemper, negant.

c) DIOGENES LAERTIVS *in Zenone* pag. 534. ψυχην και σωμα ειναι, και μετα θανατον επι μενειν, φθαρτην δε ειναι.

d) EPIPHANIVS Epil. Oper. contra haereſ. Animam ſpiritum longaeuum vocauit Zeno, non tamen incorruptibilem per totum; conſumi enim a multo tempore in interitum. vid. plura teſtimonia apud PFANNERVM in lib. cit. pag. 403.

e) PLVTARCHVS *de placitis philoſophorum* lib. 4. cap. 7. Οι στοικοι, inquit, την μεν αθενεστεραν αμα τοις συνκριμασι γενεσθαι, (ταυτην δε ειναι των απαιδευτων) την ισχυροτεραν, οια εστι περι τους σοφους, και μεχρι της εκπυρωσεως.

§. VIIII.

Epicuraeorum.

In schola Epicuri animae immortalitas stare non poterat, qui cum discipulis praeter materiam nihil admisit, atque adeo animam quoque materialem statuere coactus est. Multos habuit sectatores ille Epicurus, ex quibus tantum Lucretium nuncupamus, qui suam de mortalitate animae doctrinam permultis argumentis euincere laborat lib. III. *de rerum natura* pag. 86. sqq. Et sic breuibus indicauimus, quid quatuor illae primariae gentilium philosophorum scholae de anima senserint, ex quibus satis adparebit, quam longius abfuerint, ab illa de animae immortalitate doctrina.

§. X.

Et Ciceronis.

Priusquam vero ad Iudaeos pergimus, Ciceronem audiamus de immortalitate differentem, *quaest. Tuscul.* lib. I. cap. 5. Feci me Hercule, inquit, et quidem saepius, sed nescio quomodo, dum lego adsentior, cum posui librum, (scilicet Platonis) et mecum ipse de immortalitate animarum coepi cogitare, adsensio omnis illa elabitur.

§. XI.

Inter Iudaea notantur Sadducaei.

Ante captiuitatem babylonicam nemo Iudaeorum nobis innotescit, qui mentibus indixerit exitium; post hanc vero turbam Sadducaeorum deprehendimus negantem, animas esse immortales. Temporis punctum adeo certum non est, quo haec Iudaeorum secta primum inceperit. Sunt, qui iam Esdrae temporibus hanc haeresin viguisse adserunt, illumque orthodoxis symbolum dedisse, vt ab heterodoxis distinguerentur, decreuisse nimirum, vt ad coronidem omnium orationum, quae in templo fundebantur, verba adiicerent מִן הָעוֹלָם עַד עוֹלָם a). Sunt etiam, qui illos in principio scripturarios seu Karaitas fuisse existimant, qui reiectis

iectis omnibus traditionibus scripturam tantum recepissent, postea vero degenerasse, cum mortalitati animarum aliisque erroribus fauere incepissent *b*).

a) vid. IOANNEM HENRICVM REITZIVM *in notis ad Goodwini Mosen et Aaron.* pag. 105.

b) vid. PRIDEAV'X *Verbindung des alten und neuen Testaments.* part. 2. pag. 411. seqq.

§. XII.

Sadducaei nominantur non a צֶדֶק iustitia, vt quidam putarunt, sed a Sadoco, primo huius sectae auctore et parente, qui vitam vixisse dicitur, cum laddua sacerdotali officio inter Iudaeos fungeretur. Sadocus iste et Baithus praeceptore vtebantur Antigono Sochaeo, cuius verba, quae in capitulis patrum. Cap. I. deprehendimus, *a*) ita explicabant, ac si omnem post corporis fata ἀνταπόδοσιν negaret Sochaeus, et sic statuebant: animam esse mortalem, nullamque aliam vitam post hanc lucem expectandam esse. Sadducaeos autem reuera ita statuisse, non Iosephus solum testatur *b*), sed etiam ex multis scripturae locis luculenter satis comprobari potest *c*).

a) Verba Antigoni haec sunt: Ne sitis instar mercenariorum, qui domino seruiunt, ea conditione, vt accipiant mercedem, sed sitis instar mercenariorum, qui seruiunt domino, sed non ea conditione, vt accipiant mercedem, sitque timor Dei apud vos.

b) IOSEPHVS *de bello iudaico* lib. 2. cap. 8. ψυχης τε την διαμονην ἀναιρεσι et *antiquit. iud.* lib. 18. cap. 2. τας ψυχας συναφανιζει τοις σωμασι αὐτων λογος. Conf. Ven. BRVCKERI lib. cit. tom. 2. pag. 725.

c) Matth. XXII, 23. Marc. XII, 18. Act. XXIII, 8.

§. XIII.

Forsitan interim illi mirifice falluntur, qui Sadducaeos

ideo recepisse tantum pentateuchum, putant, quia in illo nulla vitae futurae fieret mentio, reiecisse autem reliquos scripturae libros propter statvs futuri testimonium. Ne dicamus: in Mosis scriptis huius doctrinae vestigia satis deprehendi, etiam disputationes illorum cum pharisaeis, quae in Talmude exstant, satis euincunt, illos etiam reliquos scripturae libros recepisse, saltem ex Matth. XXII, 32. non potest probari contrarium. Accedit Iosephi testimonium, qui profitetur, illos amplexos esse: παντα τα γεγραμμενα *a*).

a) Confer SELDENVM *de Synedrio* pag. 306. et SPANHEMII *dubia euang.* dubium XXIX. part. 3.

§. XIIII.

Sadducaei persuadere sibi non poterant, animam consistere posse sine corpore, interire igitur illam atque adnihilari corpore exutam crediderunt. Vt brevibus dicamus, quid statuerint: negarunt animae spiritualitatem, quod non obscure Act. XXIII, 8. indicatur. Illos autem ipsi Deo corpus organicum adscripsisse ARNOBIVS tantum ex veteribus adfirmat *a*). Ex recentioribus hanc Arnobii sententiam suam feciſse videtur Montacutius, si Sadducaeos Deum sub forma hirci adorasse adserit, nisi, vt bene monuit BVDDEVS, *b*) valde falleretur, atque Samaritanos cum Sadducaeis confunderet.

a) ARNOBIVS lib. III. contra gentes.
b) BVDDEVS *in introduct. in historiam philos. hebraeorum.* pag. 70.

§. XV.

Numerus illorum non adeo magnus fuit, quibus illo tempore Sadducaeorum dogma adrisit. IOSEPHVS *a*) et alii, qui de hac Iudaeorum secta tradiderunt, *b*) adfirmant: principibus populi et diuitibus haec placita tantum placuisse.

se. Ex quo coniecit doctissimus quidam scriptor: exstinctam esse hanc sectam in excidio hierosolymitano, quia principes populi et diuites in ea calamitate vitam amiserint *c*). Coniectura haec quidem est viri celeberrimi, interim tamen post tristia vrbis fata nullam fere horum mentionem deprehendimus. Euanuit igitur haec secta, saltem secundum nomen, innumeri licet postea fuerint, et adhuc dentur doctrinae illorum confessores. Saeculo XII quidam Aba Alphrag restaurare conatus est hanc Sadducaeorum sectam in Hispania, sed pauci illi adplauserunt *d*).

a) IOSEPHVS *antiquit.* lib. 13. cap. 18. et lib. 18. cap. 2.
b) PRIDEAV'X in lib. cit. part. 2. pag. 413.
c) PRIDEAV'X in lib. cit. part. 2. pag. 415.
d) BVDDEVS in lib. cit. pag. 72.

§. XVI.

Sunt praeterea, qui putant: doctrinam Sadducaeorum et Baithosaeorum adhuc differre, hos mitius cogitasse de nouissimis atque admisisse futuram corporis resurrectionem *a*). Sed non desunt etiam, qui dubitant, an vmquam Baithus quidam in rerum natura exstiterit, qui tamen vulgo condiscipulus Sadoci habetur *b*). Caeterum contra illos nihil habemus, quod monendum sit, qui Herodianos, quorum interdum mentio fit in Euangeliis, Sadducaeis addictos fuisse, atque ita animae exitium statuisse, arbitrantur. Iosephi testimonium: principes populi et diuites Sadducaeos fuisse, satis iam euinceret, quod diximus, nisi etiam ex collatis locis Matth. XVI, 6. et Marc. VIII, 15. luculenter satis adpareret: Herodianos Sadducaeorum dogmata non abhorruisse *c*). Illis tamen minime adsentimur, qui Samaritanis *d*) et Karatis *e*) eundem impingunt errorem. Immo tantum abest, vt nullum inter Epicuraeos et Sadducaeos discrimen dari contendamus *f*).

a) conf.

a) conf. HOTTINGERVM *in Thesauro philol.* lib. I. cap. I. DRVSIVM lib. 3. *de Sectis* cap. 4. BVDDEVM in lib. cit. pag. 67. et V. BRVCKERVM in lib. cit. tom. 2. pag. 717. seqq.

b) FVLLERVS *in miscell. sacris* lib. 2. cap. 3.

c) PRIDEAV'X in lib. cit. tom. 2. pag. 454.

d) Quod e. g. fecerunt. R. IOSEPH ALBO lib. IV. Ikkarim cap. 31. R. GANZ *in Zemach Dauid.* ORIGENES *in Matthaeum*, et EPIPHANIVS *haeresi IX.* et *haeresi XIV.* confer. GOODWINI *Mosen et Aaron* pag. 107. ex editione *Reizii.* Sed falsum hoc esse, ipsae illorum litterae testantur, quas ad Iobum Ludolphum dederunt, in quibus de die vltionis et retributionis, immo etiam de die iudicii extremi loquuntur. Exhibet nobis litteras illas CHRIST. CELLARIVS *in Collectaneis hist. Samarit.* Adde HOTTING. diss. *de resurrect. mort.* et *de theologia Samaritana.* In eo interim conuenirent Samaritani cum Sadducaeis, si Sadducaei etiam totum sacrum Codicem, praeter pentateuchum, reiicerent, vt faciunt Samaritani.

e) Karaitae, qui etiam scripturarii audiunt, odii caussa huius erroris a Rabbanitis accusantur, licet in eo tantum conueniant cum Sadducaeis, vt reiiciant traditiones. conf. PRIDEAV'X in lib. cit. part. 2. pag. 416. seqq.

f) Sadducaei enim recipiunt creationem mundi per Dei omnipotentiam factam, immo prouidentiam diuinam admittunt, quae omnia ab Epicureis reiiciuntur.

§. XVII.

Iudaeorum sententia de adnihilatione animarum impiarum.

Addimus adhuc peculiarem Iudaeorum sententiam, licet multi dissentiant, de adnihilatione animarum impiarum post mortem corporis, quae fieret per ignem gehennae. Putant indigitari eiusmodi adnihilationem per verba, quae saepius in lege occurrunt: Exscindendo exscindetur anima illius. Collegit et examinauit Iudaeorum hac de re sententias EDVARDVS POCOCKIVS *in notis miscell. ad portam Mosis* Cap. 6. pag. 158. seqq.

§. XVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0020
DFG

§. XVIII.

In eccleſia chriſtiana fuerunt Valentiniani.

Accedimus ad eccleſiam chriſtianam, quae a primis incunabulis multos nobis exhibet, qui immortalitatem animae non in dubium vocarunt ſolum, ſed etiam plane infitiati ſunt. In ſaeculo II. perturbarunt haeretici eccleſiam, qui ab auctore haereſeos Valentino, homine Aegyptio, Valentiniani audiunt. Quantum ex obſcuro illorum ſyſtemate cognoſci poteſt, crediderunt: Demiurgum tria creaſſe ſubſtantiarum genera, ſubſtantias nimirum ſpirituales, animales et materiales. Subſtantias pneumaticas ſeu ſpirituales eſſe immortales. Pſychicas ſeu animales, quae ex materia ſubtiliori eſſent productae, poſſe mori vel non mori, prouti ad bonum ſeu malum inclinarent. Hylicae vero ſeu materiales corruptioni plane eſſe obnoxias. Ex ſubſtantia animali et materiali hominem eſſe conflatum, quibus mater Demiurgi Achamoth ex ſubſtantia ſpirituali et coeleſti, inſcio tamen filio, aliquid admiſcuerit. Vt breui indicemus illorum ſententiam: animam adſeruerunt immortalem, ſi terreſtria ſperneret, interituram vero, ſi eueniret contrarium *a*).

a) Conf. BVDDEI diſſ. *de haereſi Valentiniana*, quae adiecta eſt *introductioni in philoſ. Ebraeorum*. Maxime vero Perilluſtris D. Cancellarii IO. LAVRENTII MOSHEMII Commentarios *de rebus chriſtianorum* pag. 382. ſeqq.

§. XVIIII.

Arabici.

Saeculum tertium foedarunt haeretici, qui a Patria et loco habitationis Arabici vocantur. Hi diſerte pronuntiarunt: animam vna cum corpore interire, reuerti autem in vitam, ſi dies reſurrectionis corporum aliquando illuxerit. Nata eſt haec haereſis, vt quidam volunt, ſub imperatore Philippo Arabe, et cum Antherus romanorum eſſet epiſcopus.

pus. Non innoteſcit auctor huius erroris, neminemque ſcimus temporis illius ſcriptorem, qui auctoris mentionem iniecerit, fortaſſe, quia omnes illum ignorarunt. Addimus interim ſententiam Perilluſtris MOSHEMII *a*). Crediderim, inquit, parentem huius diſciplinae Epicuraeum fuiſſe, antequam chriſtianus fieret. Suos enim in Syria quoque et Arabia fautores philoſophiam Epicuri hac aetate habuiſſe, dubio caret. Chriſtianus factus homo ille philoſophiam ſuam de anima cum religione tamen colligare, ſeu religionem chriſtianam per philoſophiam ſuam temperare volebat. Itaque ſic ſuos habere iubebat; Deum totum hominem in vitam aliquando reuocaturum eſſe, ſeu corpori vitalem vim, morte amiſſam redditurum eſſe.

a) in commentariis *de rebus chriſtianorum* pag. 719.

§. XX.

Continuatur.

Pauca ſunt, quae de hoc Arabicorum errore ſcriptores eccleſiaſtici notarunt, et EVSEBIVS omnium primus illorum mentionem iniecit. Tradit ille de Arabicis *a*) illos docuiſſe: Την ανθρωπειαν ψυχην τεος μεν κατα τον ενεςωτα καιρον αμα τη τελευτη συναποθνηϊκειν τοις σωμασι, και συνδιαφθειρεϑαι, αυϑις δε ποτε κατα τον της αναςασεως καιρον συν αυτοις αναβιωσεϑαι. Hominum animas in praeſenti quidem ſaeculo vna cum corporibus interire atque corrumpi, rurſus vero, reſurrectionis tempore ſimul cum iisdem corporibus ad vitam eſſe redituras. Idem repetunt AVGVSTINVS *b*), IOANNES DAMASCENVS *c*), et NICEPHORVS *d*), qui omnes EVSEBIVM deſcripſerunt. DAMASCENVS addit nomen ϑνητοψυχητων, quo propter errorem ab ipſo nominantur.

a) EVSEBIVS *hiſt. eccl.* lib. 6. cap. 37.

b) AVGVSTINVS *de haereſ.* cap. 83.

c) IOAN-

c) IOANNES DAMASCENVS lib. *de haeres.* haeres. 50.
d) NICEPHORVS *hist. eccl.* lib. 5. cap. 23.

§. XXI.

Non diu interim durauit ista Arabicorum haeresis, sed facile exstincta est, cum christiani Origenem conuocarent, cuius fama per vniuersam christianam ciuitatem ea aetate iam celebrata erat. Hic χαλκεντερος secessit in Arabiam, colloquutus est cum illis in synodo publice habita, et conuicti sunt haeretici per doctrinam Origenis, vt statim mentem mutarent, sanamque de anima reciperent doctrinam. Reiecerunt igitur cuncti errorem, quem tueri nullo modo poterant, licet multi putauerint: perdurasse illum ad Constantis vsque, Heraclii Nepotis, tempora. Per Syriam, Persiamque longius et latius fuisse diffusum, tandem vero cum Monophysitarum erroribus esse coniunctum. Esse illos Charurgitas, qui a Paulo diacono ita vocati sunt. Immo esse surculum Nazaraeorum, qui hominum pecudumque animas eiusdem naturae et essentiae esse, arbitrati sunt. Sed haec omnia sint penes auctorem. Non sufficit, dicere, sed dicta probare opus est. Nos EVSEBIO, dicenti: exstinctum esse hunc errorem ope Origenis, magis fidem habemus, quam aliis scriptoribus aetatis recentioris.

a) EVSEBIVS *hist. eccl.* lib. 6. cap. 37.
vide interim, quae per erudite de hac Arabicorum haeresi disputauit b. BVDDEVS in singulari programmate *de haeresi Arabicorum*, quod exstat *in Syntagm. diss. academ.* p. 738. sqq.

§. XXII.

Non sine horrore etiam quosdam illorum inter θνητο ψυχητας referre debemus, qui tamen Christi vicarii in his terris haberi cupiunt. Exstant quaedam illorum exempla, quae praetermittere non possumus, quae vero satis quoque

Notatur Pontifex Ioannes XXIII.

indicant, quantis erroribus et illi sint obnoxii, qui tamen infallibilitatem satis insolenter gloriantur. Neminem latere putamus exemplum Ioannis XXIII, qui saepe et saepius coram diuersis praelatis et aliis honestis ac bonis viris, pertinaciter, diabolo suadente, dixit, adseruit, dogmatizauit et adstruxit: vitam aeternam non esse, neque aliam post hanc. Qui nimo qui dixit, et pertinaciter credidit: animam hominis cum corpore humano mori et exstingui instar animalium brutorum etc. *a*). Quare etiam factum est, vt in Concilio Constantiensi veluti haereticus, negatae animae immortalitatis reus, Atheus, Simoniacus, mendax, hypocrita, homicida, veneficus, aleator, adulter, sodomita et incarnatus denique diabolus pontificiali dignitate indignus declaratus sit *b*).

a) vid. WEISMANNI *hist. eccl. nou. test.* tom. I. pag. 1232. et GERHARDI locum *de morte* pag 90.

b) conf. HEIDEGGERI *hist. papatus* pag. 177.

§. XXII.

Et Leo X. Paulus III. et Bonifacius VIII.

Eandem tibiam inflauit pontifex romanus Leo X; qui, vt refert HEIDEGGERVS lib. citat. pag ead. aliquando iussit, duos moriones ex aduerso ad mensam adsistere, quos animi gratia, de immortalitate animarum disputantes audiuit, alterum illam adfirmantem, alterum impugnantem. Cum vero finita disputatione iudicium in arbitrium pontificis hi reiicerent, pontifex sic definita sententia controuersiam diremit. Etsi tu, inquit ad adfirmantem, pulcras et bonas rationes habeas, tamen ego sententiam huius negantis probo, ceu firmiorem et quae faciat bonum vultum. Addimus verba pontificis Pauli III, quae moribundum dixisse dicitur: Se nimirum, iam experturum veritatem trium quaestionum, de quibus in tota vita dubitasset. Primo, an animae sint immortales? Secundo, an infernus sit? Tertio, an sit Deus *a*)?

Bonifa-

Bonifacius VIII eandem habuit sententiam, vt viri eruditi referunt *b*).

a) Vide GERHARDVM *in locis theol. loco de morte* pag. 90.

b) conf. PFANNERI *systema theol. gentilis* pag. 404. qui etiam haereticorum quorundam saeculi XIII. mentionem facit, qui Athoci vocantur animarumque immortalitatem negarunt.

§. XXIV.

Disseritur de Socinianis.

An Neo Photiniani seu Sociniani animarum immortalitatem, an vero mortalitatem illius statuerint atque statuant, certius definiri non potest. Seruetus saltem animae decreuit exitium *a*). Adeo autem obscure hac de re loquuntur, vt difficillimum sit, introspicere, quid ex his duobus adserere suscipiant. SMALZIVS interim maxime queritur *b*), socinianos falsissime mortalitatis animarum accusari. Id autem negari non potest, illos impiorum mentibus male esse ominatos. Docent enim, animas illorum impiorum, qui extremum iudicium viuendo non attingerent, statim post corporis mortem adnihilari, animas vero illorum, qui in die iudicii superstites adhuc essent, per ignem infernalem dissipari et redigi in nihilum *c*).

a) Docuit nimirum Seruetus: immortales futuras fuisse animas, si in statu innocentiae homines permansissent, sed cum lapsi essent, et mortales esse factos. vid. PFANNERVM in lib. cit. pag. 404. Fusius disputat. *de Serueto*, Perillustris MOSHEMIVS *in der unpartheiischen Kezer Geschichte.*

b) SMALZIVS disp. 7. contra Franzium.

c) vid. IOANNIS COCCEII *examen apologiae equitis poloni* pag. 220. seq.

§. XXV.

Et Anabaptistis.

Si Anabaptistarum theses, quas MDLXVIII Cracouiae publicae luci exposuerunt, inspicimus, in thesi decima diserte nega-

negarunt: animas esse immortales. Negamus, perhibent, aliquam animam post mortem manere, sed illud dicimus excogitatum ab Antichristo ad stabiliendam suam culinam per fictum purgatorium et inuocationem sanctorum. Eandem sententiam quidam ex turba illorum, Demanowsky in peculiari dissertatione MDLXXIX Poloccii habita publice defendit, adserendo: animam cum corpore interire, nullamque dari illius post corporis fata immortalitatem *a*).

a) Non autem adeo communis fortasse iste error est Anabaptistis, quam ille de somno animarum, quem in capite sequenti notabimus, et qui etiam certius constat de Socinianis.

§. XXVI.

Indicatur sententia Dodwelli.

Peruenimus ad HENRICI DODWELLI *de anima doctrinam*, quam in scripto quodam anno MDCCVI edito publice professus est *a*). Hic vir caeteroquin doctissimus, licet animam immaterialem et a corpore distinctam statuerit, negauit tamen, illam ex natura sua immortalem esse. Immortalitatem retulit ad priuilegia et praerogatiuas testamenti noui, atque ad illam consequendam requirit notitiam euangelii. De illis, qui euangelio obediunt, statuit, animas illorum immortales fieri per spiritum, vt dicit, aduentitium, illis in baptismo, a ministro episcopali administrato, collatum; de illis vero, qui non obediunt euangelio, credidit, per voluntatem Dei illorum animas immortales fieri. Illis interim immortalitatem non decreuit, qui non audiuerunt euangelium, et licet perdurarent illorum animae ad iudicium vsque extremum; tunc tamen adnihilari illas, arbitratus est. Ne autem veteris testamenti Patriarchis immortalitatem abiudicaret, decreuit, illis euangelium esse adnunciatum, immo Christum baptizasse illos, cum ad inferos suum fecisset descensum.

a) An

a) An epistolary discourse, prouing from the scriptures and the first fathers, that the soul is a principle naturally mortal, but immortalised actually by the pleasure of God, to punishment, or to reward by its union with the diuine baptismal spirit. Londini 1706.

§. XXVII.

Prouocat quam maxime ad ecclesiae patrum testimonia DODWELLVS, illosque idem statuisse, adserit. Si quoque scripta patrum euoluimus, infitiari nemo potest, quosdam illorum ita saepius praecepisse de immortalitate animarum, vt nullam aliam, quam quae fit per gratiam et voluntatem Dei, admisisse videantur. Numerus illorum exiguus non est, qui animam crediderunt corporalem, quod TERTVLLIANVS per reuelationem, foeminae cuidam factam, confirmare voluit *a*). Et si praeterea IRENAEI, *b*) ARNOBII, *c*) et TATIANI *d*) testimonia expendimus, idem fere, quod DODWELLVS voluit, dixerunt: animas nimirum per gratiam vel voluntatem Dei immortales reddi. DODWELLVS interim ex nimia illorum veneratione, etiam hunc patrum absorpsit errorem, quem detestari potius debuisset, monitus hac re, et patres fuisse homines, qui errare potuerunt. Accessit quoque nimia ecclesiae episcopalis aestimatio, quae fecit, vt immortalitatem in baptismo a ministro episcopali administrato conferri doceret. Quemadmodum Menander saeculi primi haereticus per suum baptismum hominibus immortalitatem, secundum corpus, promisit, ita vt non senescerent in hac vita, neque morerentur *e*).

a) TERTVLLIANVS lib. IX. *de anima.*

b) Quemadmodum coelum – – multo tempore perseuerant secundum voluntatem Dei, sic et de animabus et spiritibus et omnino de omnibus his, quae facta sunt, cogitans quis minime peccabit, quod omnia, quae facta sunt, initium quidem

dem

dem facturae suae habeant, perseuerent autem, quoad vsque et Deus et esse et perseuerare voluerit.

c) Animae mediae sunt qualitatis, quae interire possunt, si Deum ignorarunt, si autem ad minas eius se adplicant, ab exitio liberantur. vid. Ven. BRVCKERVM in lib. cit. tom. 3. pag. 381.

d) Non immortalis est anima, o graeci, suapte natura, sed mortalis, eadem tamen, ne moriatur fieri potest cet. TATIANVS *in orat. ad graecos.* conf. BVDDEVM in diss. *de haeresi Valent.* et CVDWORTHI *Systema intellectuale* ex versione et cum *notis Mosheimii* pag. 1069.

e) vid. IOACHIMI HILDEBRANDI *hist. haeres.* pag. 22.

§. XXVIII.

Et Cowardi.

Vix autem explicauerat mentem suam DODWELLVS, cum magnus numerus exsurgeret illorum, qui ipsum refutarunt. Inter illos fuit quoque, vt reliquos breuitatis gratia praetereamus, WILLIAM COWARDVS, Medicus Londinensis, qui vero in errorem incidit longe absurdiorem. Docuit enim; animam nihil aliud esse, quam vitam hominis, quae cum corpore exstingueretur, sed in vitam quoque cum corpore rediret. Doctrinam de immortalitate animae a Christianis receptam confictam esse a paganis, et exsistentiam substantiae alicuius immaterialis imposturam esse philosophicam. Defendit quidem sententiam suam in permultis scriptis *a*), quae tamen in Anglia combusta dicuntur *b*).

a) e. g. Second Thougts concerning humane soul. Londini 1703. Essay, siue vindicatio rationis et religionis contra impostoras philosophicas. Londini 1704. et denique: The just scrutiny or a serious enquiry into the modern notions of the soul.

b) conf. quae fusius disputat S. V. DEYLINGIVS *in obseruat. sacris* part. 2. pag. 25. seq. et *in Miscell. sacris* pag. 105.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0028
DFG

§. XXVIIII.

Prodiit MDCCXIII scriptum aliquod, quod MDCCXXIII iterum typis exscriptum legimus, cuius auctor immortalitatem animae negauit. Inscriptum est: *Zweier guten Freunde vertrauter Brieffwechsel vom Wesen der Sele.* Hoc commercium epistolare tres continet epistolas, in quarum prima adseritur animae mortalitas, quae in altera refutatur; tertia autem refutationi respondet. Latent interim auctores huius commercii epistolaris, quos tamen alii indicare voluerunt *a*). Tacemus de caetero SPINOZAM, HOBBESIVM, TOLANDVM, et alios huius farinae homines, qui mentibus nostris infausta satis ominati sunt. Sed nihil noui dixerunt. Adposuerunt potius fortes illi spiritus, vt vocantur, centies iam recocta, quae et hodie multi ad nauseam vsque proferre pergunt. Id interim efficiunt illi homines, vt veritas eo magis eluceſcat, quo magis illam obscurare moliuntur.

Notatur commercium illud epistolare de animae essentia.

a) Putat Celeb. STOLLE *in der Historie der Gelahrtheit* part. 2. cap. 3. auctorem primae et tertiae epistolae Hocheisenium vel Bucherum, vt postea emendauit, secundae vero. Roeschelium fuisse.

§. XXX.

Concludimus hanc historiam cum calumnia pontificiorum, qui, LVTHERVM, et vniuersam ecclesiam Lutherano euangelicam immortalitatem animae negare, mentiuntur. LVTHERO imputant illum errorem, quia risit pontifices in publicis conciliis, vbi nouos fidei articulos promittunt, immortalitatem animarum constituentes, cum haec doctrina a mundi primordiis iam satis nota sit. Lutheranis autem imputant mortalitatis errorem, quia sanctos dicunt mortuos *a*), licet ipsa sacra scriptura illos ita nuncupet Apoc. XIV, 13. et alibi. Bene interim respondet GERHARDVS *b*), id fieri, partim

Concluditur haec historia cum falsa pontificiorum accusatione Luthero, Ecclesiae Lutheranae et Zwingliae-

nae impacta.

tim διακριτικως, vt discernantur a sanctis in hac vita adhuc degentibus, partim χετικως, respectu vitae animalis, a qua ad coelestem vitam sunt translati. FLAVIANVS interim etiam Zwinglianis hunc tribuit errorem *c*): Lutherani et Zwingliani, inquit, suos mortuos vt asinos aut mortuos equos abiiciunt, eo, quod neque animae immortalitatem neque resurrectionem futuram credunt. Sed, o Flauiane, quae te dementia cepit!

a) vid GERHARDVM *in conf. catholica* pag. 989. seqq.
b) GERHARDVS *loco de morte* pag. 98.
c) FLAVIANVS in lib. *de purgatorio* cap. 24.

§. XXXI.

Omnes hominum de mortalitate animarum sententiae summatim indicantur.

Si denique omnes hominum sententias, et praecipuas quidem, de animarum mortalitate summatim complectimur, ad capita sequentia possunt reduci. Sunt qui animas plane interire, nullamque aliam post hanc vitam expectandam esse adserunt, vt EPICVRAEI, SADDVCAEI et alii. Sunt, qui animam quidem cum corpore interire, sed illam etiam in vitam reuocari docuerunt, vtARABICI et COWARDVS. Sunt, qui animas impiorum adnihilari statuunt, vt IVDAEI et SOCINIANI. Sunt,qui mentes nostras longaeuas putant, quae viuant post corpus paululum,vel diutius,non tamen semper, vt STOICI. Sunt denique,qui animam nostram natura mortalem, immortalem vero gratia et voluntate Dei arbitrati sunt, vt DODWELLVS et alii.

CAPVT

CAPVT II.

QVOD EXHIBET

HISTORIAM DE SOMNO ANIMARVM.

§. I.

Pergimus ad hiſtoriam illorum, qui, animas corpore ſolutas vsque ad mundi conſummationem dormire adſeruerunt. Error iſte non heri vel nudius tertius hominum cepit animos, ſed in antiquiſſimis iam temporibus ſuos fautores habuit. Breues interim erimus in exhibenda hac hiſtoria, quoniam numerus illorum non adeo magnus fuit, qui hunc errorem amplexi ſunt; prolixiores autem futuri, ſi omnes illi ad Pſychopannychitas referendi eſſent, qui ad illos, licet falſo, referuntur. Dicendum tunc nobis eſſet de eccleſia graeca, de Pontifice Ioanne XXII, immo etiam de Luthero et Caluino, ſi illis omnibus iſte error, quod tamen multi contendunt, placuiſſet *a*). Si autem eccleſiae graecae, Ioannis XXII et Caluini ſententiam accuratius examinamus, ſpectare nobis videtur, ad imperfectam animarum vel felicitatem vel damnationem, qua de re in capite diſſertationis tertio praecipiemus.

Quidam huius erroris falſo accuſantur.

a) Qui etiam *Vigilantio* et *Bellarmino* eundem errorem imputarunt, nimium videntur feciſſe, vt GERHARDVS *in locis theol. loco de morte* pag. 210. ſeq. Quod enim *Vigilantium* attinet, quidam ex verbis illius, quae in *Hieronymi* libro aduerſus illum reperiuntur, concludere hoc voluerunt. Ais, inquit *Hieronymus*, vel in ſinu Abrahae, vel in loco refrigerii, vel ſubter aram Dei animas apoſtolorum et martyrum conſedi-

se, nec posse suis tumulis, et vbi voluerint, esse praesentes. Senatoriae videlicet dignitatis sunt, vt non inter homicidas deterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia, in fortunatorum insulis et campis Elysiis recludantur. Quid ex his verbis pro somno animarum sequatur, plane non videmus. Reiecit autem *Vigilantius* omnem martyrum cultum, omniaque miracula falsa existimauit, quae ad illorum tumulos fieri, christiani sibi persuadebant. Et hoc fortasse quoque est, quod *Hieronymus* refutari in libro aduersus illum, laborauit.

Verba *Bellarmini*, quae lib. II. *de purg.* cap. 7. exstant, nihil quoque habent, quod somno animarum faueat. Non est, inquit, improbabile: praeter infernum et purgatorium et regnum coelorum reperiri quoddam, quasi pratum florentissimum, lucidissimum, odoratum, amoenum, in quo degunt animae, quae nihil patiuntur, qui locus est mitissimum purgatorium, et quasi carcer senatorius et honoratus. Sed satis apertum est, loqui *Bellarminum* de statu animarum ex purgatorio liberatarum, quibus multi pontificii non statim tribuunt regnum coelorum, sed statum quendam, in quo quidem nihil patiuntur; ad beatificam vero Dei visionem non prius admittuntur, quam in saeculi consummatione.

Armenos veteres eundem errorem amplexos esse, nondum quoque satis est exploratum. De recentioribus interim contendit RYCAVT *in histoire de l'etat praesent de l'egliſe Armenienne.* cap. 12.

§. II.

Origo huius erroris.

Gentilium placita repetenda nobis videntur, si primam huius erroris originem indagare volumus. Diffiteri illud nemo poterit, quem nugae illorum, e. gr. de fluuio Lethe minime fugiunt. Ex hoc fluuio bibere animas separatas crediderunt, vt et miseriae vitae anteactae et gaudii in campis elysiis obliuiscerentur. Quae fabula ficta videtur eam ob caussam, ne animae transmigrationem in alia corpora,

pora, quam gentiles in vniuersum omnes docuerunt, difficilius susciperent.

§. III.

Notantur ecclesiae patres.

Multi ex patribus ecclesiae, qui cum lacte matris gentilium praecepta imbiberant, Christiani facti ita saepius loquuti sunt, ac si somnum animarum etiam admitterent. Collegerunt alii illorum effata, quae hunc errorem indigitare videntur *a*), vt hoc loco operi huic supersedere queamus. Interim tamen diffiteri non possumus, si patrum dicta accuratius expenduntur, ex illis non sequi animarum somnum, quem multi inde efficere volunt, sed mitius, et commode quidem, explicari posse, vt nil nisi imperfectam animarum felicitatem euincant, quae sententia erat primis patribus, et Graecis praesertim, communis. Nemo patrum praeterea propriis verbis de somno animarum loquutus est, immo fuerunt, qui hunc errorem diserte refutarunt, vt LACTANTIVS *b*).

a) GERHARDVS *locis theol. loco de morte* pag. 199. seqq. et GOTTLIEB WERNSDORFIVS in dissert. *de statu animarum separatarum.*

b) lib. III. instit. cap. 18. §. 16. et lib. VII. cap. 22. §. 9. seqq.

§. IIII.

Anabaptistae.

Sed mittimus haec omnia. Nominabimus illos, de quibus certius dici potest, fuisse Psychopannychitas. Ex illis primum nominamus ANABAPTISTAS, qui hunc errorem in publicis fidei confessionibus profitentur *a*). Edidit contra illos Caluinus scriptum aliquod anno MDXXXIIII. quod titulum Psychopannychiae in fronte gerit *b*). Primus est Caluinus, qui illis nomen Psychopannychitarum imponit, inque scripto ipso fatetur: illum agere cum nequissimo Anabaptistarum grege.

 a) vid.

a) vid. *Protocoll*, das ist, *alle Handlungen des Gespraechs zu Emden in Ostfriesland mit den Wiedertaeuffern, die sich Flaminzen nennen, gehalten.* cet. confer etiam articulum XXXI. *des Hornischen Glaubensbekaentnisses.*

b) Exstat hoc scriptum CALVINI *in tractatibus suis theologicis.*

§. V.

Sociniani. De SOCINIANIS error iste certius constat, quam ille de mortalitate animarum, quod IOANNES ISACIVS PONTANVS bene obseruauit *a*) Psychopannychitae, inquit, nostri temporis, Anabaptistae nimirum et Sociniani, etsi animas cum corporibus mori et interire non diserte dicant, vt illi, quos Damascenus Tnetopsychitas, Augustinus Arabicos dixerunt, eas tamen in puluere terrae dormire ad diem iudicii, adserere non erubescunt, contra illud Pauli: cupio dissolui, et esse cum Christo. Sed audiamus Socinianos ipsos. Ita autem IOANNES VOLCKELIVS, hominum animae, inquit, post mortem personae aliquae nequaquam sunt, quae actu ipso viuant et intelligant *b*). Et VALENTINVS SMALZIVS: Spiritum hominis ad Deum redire, testatur sacra scriptura. At eum viuere vita, vt ait SMIGLECIVS, spirituum, et vel aliquid intelligere, vel voluptate frui, hoc extra et contra scripturam dicitur. Nam si ita viuerent animae, non possit dici vllo modo, mortuos non esse, essent enim quoad partem sui potissimam. Quod vero de parte hominis eaque potiori verum esset, negari de homine toto nullo modo simpliciter posset *c*). Et alio loco adserit *d*): Quemadmodum corpus sine spiritu cadauer est, sic vicissim spiritum sine corpore nullas actiones exercere posse putamus.

a) PONTANVS in diss. *de animae essentia* 1613. habita.

b) VOELCKELIVS *de vera religione* lib. 2. pag. 521.

c) VALEN-

c) VALENTINVS SMALZIVS *de Christo vero et naturali Dei filio* pag. 43.

d) In disput. VII contra Franzium.

§. VI.

Si CONRADI VORSTII et EPISCOPII verba pensitamus, certum est, ARMINIANOS, saltem SOCINIZANTES, animarum somnum profiteri. Si enim VORSTIVS quaerit: An, cum mortui dormire, aut obdormiuisse in scriptura dicuntur, de anima ipsorum, an de corpore, an de toto composito accipiendum sit? respondet: postremum adfirmamus. Ex quo liquet: secundum illius sententiam et corpus post mortem dormire et animam. EPISCOPIVS autem ea habet *b*): Superstitem manere, animam, quum dicimus, non audemus confidenter adserere, quod extra se quidpiam agat, sentiat aut percipiat spiritus corpore exutus; etiamsi non improbabilem eorum sententiam esse credimus, qui statuunt, eum in se ipsum conuersum speculari et intelligere posse ea, quae antea percepit, ac proinde neutiquam dormire, ad ea vero, quae extra sunt, indigere organo atque instrumento corporis. *Arminiani.*

a) VORSTIVS *in caussis deferend. papatus*, in altero problem. episagm. ad 8. et 9. partem thesium *de statu mortuorum et beatorum.*

b) EPISCOPIVS disp. XXIII. thes. 7.

§. VII.

Eandem sententiam recepit in saeculo praeterlapso IOANN. CHRISTOPH. ARTOPAEVS, Professor Argentoratensis, qui 1670. ανωνυμως edidit *seriam disquisitionem de statu et loco et vita animarum, postquam discesserunt a corporibus praesertim fidelium*, in quo scripto psychopannychiam acriter defendit. Refutauit illum Collega ipsius BALTHASAR BEBE- *Io. Christ. Artopaeus.*

BEBELIVS, qui, nescius auctorem disquisitionis, edidit examen seriae disquisitionis etc. Recusa est ARTOPAEI disquisitio et BEBELII examen *in tractatu curioso*, qui Francofurthi ad Moenum 1691. lucem adspexit.

§. VIII.

Ioannes Heynius.

Non adeo multis abhinc annis nouum conspeximus psychopannychiae defensorem in IOANNE HEYNIO, qui in vrbe Werder, Pastoris primarii munere functus est. Explicauerat iam mentem suam in epistolis de cometis, et quidem in vndecima; postea vero edidit: *Sendschreiben an den Herrn Doctor Baumgarten etc.* in quo scripto praesertim ISAACI WATTSII argumenta contra Psychopannychiam in libro: *die zukünfftige Welt*, prolata, destruere laborat. Ex hoc scripto HEYNII, qui paulo post diem suum obiit, id tantum notamus: prouocasse illum ad multos eruditos adhuc viuentes, quos somno animarum fauere, gloriatur *a*).

a) Hunc *Heynii* errorem refutatum vide a summe Venerabili PRAESIDE *im 6ten Theile der theologischen Bedenken, Bedenken XLIII.* Confer etiam quae contra illum disputauit b. CANZIVS *im neunten Theile der Reinbeckischen Betrachtungen ueber die Augspurgische Confession* pag. 70. seqq. vt etiam, *im Anhange zum Selenschlaf.* pag. 697. seqq. Adde celeberr. CHRIST. ERNEST. SIMONETTI *Gedanken ueber die Lehren von der Selen Unsterblichkeit und dem Schlaf der Sele.* part. 2.

CAPVT

CAPVT III.

QVOD CONTINET

HISTORIAM
DE STATV ANIMARVM MEDIO.

§. I.

Peruenimus ad caput tertium dissertationis nostrae, historiam de statu animarum medio paucis exhibituri. Duplex sententia nobis hic notanda occurrit, quarum altera animarum spectat sequestrationem. Sunt enim, qui quidem animas a corpore separatas semper cogitare et sentire putant; illas autem ante iudicium extremum neque ad felicitatem neque damnationem peruenire, sed in loco quodam medio interea reseruari arbitrantur. Altera occupat illos, qui quidem animas post corporis mortem in illum statum existimant peruenire, in quo aeternum mansurae sunt, sed imperfectum adhuc et in die demum iudicii postremi consummandum. Contra quos nihil haberemus, quod monendum videretur, si hunc animarum statum subiectiue tantum, non autem, vt faciunt, formaliter imperfectum considerarent *a*).

Duplex indicatur hominum hac de re sententia.

a) Pertinet quidem ad hunc statum animarum medium purgatorium quoque immo et limbus patrum et infantum, quoniam vero de locis, in quibus degunt animae separatae in capite peculiari agendum nobis sumsimus, purgatorii et limborum historia ad illud caput reseruatur.

§. II.

Quod ad priorem sententiam adtinet, plurium cepit animos,

Priori sententiae sub-

scripserunt plurimi patrum.

animos, quam posterior illa. Ecclesiae latinae patres, saltem in primis a Christo nato saeculis, hunc errorem amplexi sunt, quibus deinceps purgatorium maxime adrisit, ecclesiae autem graecae patres purgatorium reiicientes hanc animarum sequestrationem semper crediderunt. Decepti sunt primi patres oraculis Sybillinis, sibique persuaserunt: animas post mortem subire loca subterranea, ibi ad diem vsque iudicii sequestrari, nec compotes fieri beatificae visionis aut sempiternae felicitatis ante vniuersalem resurrectionem *a*). Eo abierunt, vt quosdam tantum nominemus, TERTVLLIANVS *b*), LACTANTIVS *c*), AVGVSTINVS *d*), et ex Graecis CHRYSOSTOMVS *e*), quod verba illorum infra allegata satis euincunt. Excluserunt a duris hisce satis martyrum tantum animas, quas statim ad beatificam Dei visionem peruenire arbitrati sunt *f*).

a) conf. S. V. DEYLINGII *miscellan. sacra.* pag. 152. seq

b) TERTVLLIANVS lib. *de anima* cap. 55. Habes de paradiso a nobis libellum, quo constituimus, omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini.

c) LACTANTIVS lib. 7. *diuin. instit.* cap. 21. Nec quisquam putet, animas post mortem protinus iudicari, nam omnes in vna communique custodia detinentur, donec tempus adueniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen.

d) AVGVSTINVS *in Enchiridio* cap. 108. Tempus quod inter hominis mortem et vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet.

e) CHRYSOSTOMVS *homil.* 39. in 1 epist. ad Corinth. Si in hac vita tantum in Christum speramus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Quid ais Paule? An non animus superstes erit? erit, et immortalis quidem. Quamquam vero vel sexcenties sit immortalis, tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur, quemadmodum neque poenis punietur. Omnia enim coram tribunali Christi manifestabuntur,

buntur, inquit Paulus, vt vnusquisque ferat, quae per corpus siue bona siue mala gessit. Nam si corpus non resurgit, anima nostra incoronata manebit, et extra coelestem beatitudinem erit. Et *homil.* 28. in epist. ad Hebraeos: Praeuenerunt nobis in certaminibus, sed non praeueniunt in coronis. Si enim corpus vnum omnes sumus, maior ex hoc corpori efficitur iucunditas, cum simul et communiter coronatur, et non per partes.

f) TERTVLLIANVS *de resurrect. carnis.* Nemo peregrinatus a corpore statim immoratur penes dominum, nisi ex martyri, praerogatiua, paradiso scilicet non inferis diuersurus. Et haec sententia multos, vt quidam existimant, ad martyrium adduxit. Vide CONYERS MIDLETONS *freie Untersuchung der Wundergaben der christl. Kirche, nach dem Tode der Apostel*, ex versione Celeb. CHRIST. ERNEST. a WINDHEIM, p. 419. seq.

§. III.

Qui ex hac animarum sequestratione, quam crediderunt primi patres, preces pro defunctis deriuarunt, fortasse non falluntur *a*). Statuerunt enim: animas in hoc statu posse iuuari. Deum igitur precati sunt, vt illas ad requiem perduceret, acceleraretque corporum resurrectionem atque consummationem saeculi *b*). *Hinc ortae videntur preces pro defunctis.*

a) vid. LOESCHERS *Samlung der besten und neueren Schriften vom Zustande der Sele nach dem Tode* pag. 498.

b) Eiusmodi argumenti preces in liturgiis, quae Marco et Iacobo adscribuntur, deprehendimus. Exhibet illas IO. ALBERT. FABRICIVS *in Cod. apocrypho nou. test.* part. 3. pag. 1. seqq. et pag. 253. seqq.

§. IIII.

Ecclesia graeca, quae semper respuit ecclesiae latinae purgatorium, hunc tamen errorem, a patribus traditum, in *Subscripsit et ecclesia*

graeca huic sententiae. hodiernum vsque diem retinuit. Quod ex confessione illorum orthodoxa *a*) et ex decretis concilii Florentini *b*) luce clarius adparet.

a) confess. graec. orthod. quaest. 68.

b) Definimus, illorum animos, qui post baptismum susceptum nullam omnino maculam contraxerunt, illas etiam animas, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae, prout superius dictum est, sunt purgatae, *in coelum mox recipi, et clare ipsum Deum trinum et vnum, sicut est, pro meritorum tamen diuersitate intueri* cet. conf. CHRIST. EBERH. WEISMANNI *hist. eccl.* tom. I. pag. 1276. et IOANNIS MICHAEL. HEINECCII *Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche* part. 2. cap. 9. §. 18. *und im Anhange* pag. 50.

§. V.

Et pontifex Ioannes XXII. Inter ipsos romanorum pontifices exstitit IOANNES XXII, cui iste error de animarum sequestratione placuit. Ille enim, animas separatas ante extremum iudicium non habere stolam, id est, claram et facialem Dei visionem, professus est. Immo etiam induxisse fertur Parisiensium vniuersitatem, vt nulli gradum theologiae conferret, nisi, hunc errorem se defensurum et perpetuo illi adhaesurum, iurasset *a*). Alii autem referunt: Parisienses theologos constanter renuisse huic pontificis desiderio, immo damnasse hunc errorem *b*), quem et monachus quidam nomine Wallis in publica concione, coram aula Pontificia, refutauit, quod etiam ab alio, Durando nimirum a S. Porciano factum esse, eruditi animaduertunt *c*). NICOLAVS SANDERVS indicauit, quid occasionem huius erroris IOANNI suppeditauerit *d*). BELLARMINVS multum laborauit in illo purgando *e*), ab aliis tamen pontificiis satis refutatus *f*).

a) HEIDEGGERVS *in hist. papatus* pag. 156.

b) WEIS-

b) WEISMANNI *hist. eccl.* tom. I. pag. 1174. seqq.

c) vid. WEISMANNVM loco cit. et HEIDEGGERVM loco cit.

d) NICOLAVS SANDERVS lib. 7. *de visib. monarch. eccles.* Error hic, inquit, adeo communis est huic pontifici cum multis veteribus latinis et graecis patribus, vt iniquissimum sit, in vnum papam Ioannem conuicia, ob eam rem, iacere, quae illi cum tot sanctis communis est, nec aliam ob caussam communis est, quam quod is papa in scriptis patrum religiose versatus credebat, se non debere a tot doctorum sententia dissentire.

e) BELLARMINVS lib. 4. *de rom. pontif.* cap. 14. et lib. *de beat. sanct.* cap. 2. Partim putat *Bellarminus*: non imputandum esse hunc errorem Ioanni, quia ea tempestate, nondum hac in re certi aliquid ecclesia constituisset. Partim etiam adfirmat: pontificem moribundum hunc errorem reuocasse.

f) NICOLAO SANDERO loc. cit. et ALPHONSO a CASTRO lib. 3. *aduersus haeres.* qui allegat bullam Benedicti XI, quae haec habet: Cum praedecessor noster, ad quem praedictorum determinatio pertinebat ad decisionem concertationum huiusmodi separaret, in suo consistorio publico tam fratribus suis sanctae romanae ecclesiae Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam praelatis et magistris in theologia, qui multi aderant praesentes, iniungendo distinctius et mandando, vt super visione praedicta, quando requirerentur ab eo, deliberate vnusquisque diceret, quod sentiret, tamen morte praeuentus perficere illud nequiuit.

§. VI.

Altera sententia gentilibus Iudaeis et Muhametanis communis fuit.

Alteram sententiam quod adtinet, qua animae separatae felicitate quidem vel damnatione, sed imperfecta fruuntur; omnes fere populos ea imbutos deprehendimus, si paululum modo ad gentilium, Iudaeorum, immo et Muhametanorum scripta adtendimus. Quae enim gentiles somniant de Tantali fame sitique, de Sisyphi Saxis, de rota Ixionis,

nis, de Danaidum aquarum hauſtu cum cribro. Quae IVDAEI perhibent de voluptate Paradiſi, cui et MVHAMETANI ſubſcribunt, haec omnia ſatis indicare nobis videntur: ſententiam, quam nominauimus, omnes illas gentes tenuiſſe.

§. VII.

Multis etiam adriſit Chriſtianis Nominantur quidam ex eccleſia reformata.

CHRISTIANI deinceps ex nimio patrum amore eandem ſententiam amplexi ſunt, paululum licet mitius, quam patres ſenſerint. Tempore reformationis deprehendimus CALVINVM, qui in ſcriptis ſuis praeſertim exegeticis hanc opinionem tradidit *a*) Cuius ſententiae ſubſcripſit MARCVS ANTONIVS *de Dominis b*). Quam et theologi Leidenſes receperunt. Adſirmantes: animis aliquem felicitatis gradum ad extremum iudicium reſeruari, quando cum corporibus ſuis coniunguntur *c*). Addimus IOANNEM HENRICVM VRSINVM, *d*) IOANNEM ERNESTVM GRABIVM, *e*) et denique, vt alios taceamus, THOMAM BVRNETIVM *f*) a S. V. D. WALCHIO in peculiari diſſertatione refutatum *g*).

a) CALVINVS *in inſtit. in explicat. euang. Lucae*, eiusd. *ad Philippenſes, Coloſſenſes et poſter. Petri.* Vt vnicum tantum proferamus teſtimonium, ſic ſcribit ad Phil. I, 6. praeſertim ad verba: *vsque ad diem Ieſu Chriſti.* Praecipuum quidem eſt, vt intelligas, vsque ad finem certaminis, certamen vero morte finitur. Sed quia ſic de vltimo Chriſti aduentu Spiritus in ſcriptura loqui ſolet, melius eſt, extendere progreſſum gratiae Dei vsque ad carnis reſurrectionem. Tametſi enim, qui ex corpore mortali ſunt liberati non amplius militent cum carnis concupiſcentiis, ſintque extra teli iactum, vt aiunt, tamen nihil erit abſurdi, ſi dicantur, eſſe in profectu, quia nondum pertigerunt, quo adſpirant, nondum potiuntur felicitate ac gloria, quam ſperarunt. Denique nondum illuxit dies, qui reuelet abſconditos in ſpe theſauros.

b) Ita

b) Ita enim addit ille *de Domini* ad hunc locum CALVINI allegatum, lib. X. *de republ. eccl.* Et haec quidem Magister Caluinus non minus pie, quam docte, vt caetera, explicauit. Maneat itaque, illorum sententiam vix stare posse, qui animas in tota felicitate ponunt, etiam ante resurrectionem, cui felicitati nihil essentiale sit accessurum post corporis glorificationem, nisi gaudium quoddam accidentale, magis extensiue duntaxat, non intensiue, nisi addito aliquo gradu. Et hoc docent nostri pontificii, vt tanto promtius suos sanctos inuocent.

c) Theologi Leidenses disp. XL. thes. XVII.

d) IOANNES HENRICVS VRSINVS in libro *vom Zustande der Sele nach dem Tode.*

e) IOANNES ERNESTVS GRABIVS *in append. apologet. ad Vrbani Regii formulas caute loquendi*, Regiom. 1672.

f) THOMAS BVRNETIVS in libro *de statu mortuorum et resurgentium.*

g) WALCHIVS in diss. *de statu mortuorum et resurgentium* Burnetio opposita, quae prima est in miscellaneis sacris.

§. VIII.

Et Lutherani.

In nostra ecclesia non pauci quoque fuerunt, quibus ista sententia placuit. Nominamus ex his IOANNEM GEORGIVM CALIXTVM *a*), FRIDERICVS VLRICVM CALIXTVM *b*) IOANNEM MVSAEVM *c*), GESENIVM, CALIXTORVM strenuum sectatorem *d*), M. CHRISTIANVM GERBERVM *e*) et alios *f*).

a) IOANNES GEORGIVS CALIXTVS in diss. *de statu anim. separat.* in qua haec leguntur: Et hae praecipuae rationes sunt, cur animabus defunctorum nec consummatam plenariamque beatitudinem nec completam damnationem ante resurrectionem obtingere arbitremur, sed media via potius inientis in inchoata beatitudine piorum, in inchoata damnatione impiorum animas ad nouissimum vsque diem collocemus.

b) IOAN-

b) IOANNES VLRICVS CALIXTVS patrem defendit in dissert. illius 1688. recusa.

c) IOANNES MVSAEVS, qui idem suscepit *in der ausführlichen Erklaerung* cet.

d) GESENIVS *in Catechismo* quaest. 20. et 200. Interim omissus est passus ille in edit. Hanoueran. 1706. in Stadensi licet adhuc legatur, quae prodiit 1724.

e) GERBERVS *im Bedenken ueber die Frage, ob die abgeschiedene Selen der Frommen alsbald zur Seligkeit kommen.*

f) Plures recenset V. E. LOESCHERVS *in seiner Samlung der besten und neuern Schriften vom Zustande der Sele nach dem Tode.*

CAPVT IIII.

QVOD EXHIBET

HISTORIAM DOCTRINAE

DE

TRANSMIGRATIONE ANIMARVM.

§. I.

Μετεμψυχωσις et μετενσωματωσις differunt.

Μετεμψυχωσις, cuius historiam iam exhibemus, non confundi debet cum *μετενσωματωσει*, illa enim, licet huic vitam et originem dederit, multum tamen ab hac discedit. Μετεμψυχωσις tradit migrationem animae ex homine in hominem, sed *μετενσωματωσις* ex homine in bruta, immo et plantas. Μετεμψυχωσιν receperunt multi gentiles, quibus *μετενσωματωσις* non adrisit.

§. II.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0044
DFG

§. II.

Huius erroris primi confessores.

Iudaeorum commenta non adtendimus, qui, ABRAHAMVM primum fuisse, qui hunc errorem docuit, illumque Aegyptiis tradidit, arbitrantur. Certum est: μετεμψυχωσιν excogitatam esse a gentilibus, et ab his ad Iudaeos pariter ac Christianos deinceps permanasse. Summum praemium existimarunt gentiles, sunt verba AMBROSII *a*), si magnorum philosophorum animae in apes seu luscinias demigrarent, vt, qui ante hominum genus sermone pauissent, postea mellis dulcedine aut cantus suauitate mulcerent. Quibus adiicimus LACTANTII de hoc errore Iudicium. Caetera, inquit, Epicuraei dogmatis argumenta pythagorae repugnant, differenti: Migrare animas de corporibus, vetustate et morte confectis, et insinuare se nouis ac recens natis, et easdem semper renasci, modo in homine, modo in pecude, modo in bestia, modo in volucre, et hac ratione immortales esse, quod saepe variorum et dissimilium corporum commutent domicilia. Quae sententia deliri hominis, quoniam ridicula, et mimo dignior, quam schola fuit, ne refelli quidem serio debuit. Quod qui facit, vereri videtur, ne quis id credat *b*).

a) AMBROSIVS *de bono mortis* cap. X.
b) LACTANTIVS lib. 7. *de vita beata* cap. 12. §. 30. 31.

§. III.

Notantur praesertim Aegyptii.

Transmigratio animarum omnium fere gentium communis doctrina fuit. Si vero populum scire cupis, qui omnium primus hunc errorem recepit, AEGYPTIOS tibi, omnium concentu, nominamus. De his perhibet HERODOTVS, illorum fuisse doctrinam: exolescente corpore animam subinde in aliud animal, quod nascitur, immigrare, atque vbi per omnia se circumtulisset terrestria, marina, volucria, rursus

fus in hominis corpus, quod gigneretur, introire, atque hunc circuitum fieri intra annorum tria millia *a*).

a) HERODOTVS *in Euterpe* lib. 2.

§. IIII.

Illorum sententia de praeexistentia animarum originem dedit huic errori.

Praeexistentia animarum, quae credebatur ab Aegyptiis causſam et originem dedit huic μετεμψυχωσει. Crediderunt enim: Deum sub mundi initium certum animarum numerum creasse, quae cum deliquissent in Deum, coniectas esse in corpora veluti carceres, vt poenas luerent. Quae igitur in hisce carceribus a peccatis et maculis se purgarent, illas statim post corporis mortem transire in deorum consessum, quae vero intermitterent hanc purgationem, illas migrare post corporis obitum in aliud, donec perfecte purgarentur *a*).

a) vid. RADVLPHI CVDWORTHI *Systema intellectuale* ex versione et cum notis Perillustris MOSHEMII pag. 49.

§. V.

Ipsi tamen Aegyptii a se invicem discedunt.

In tradenda interim hac doctrina ipsi Aegyptii mirifice differunt, vt viri eruditi bene obseruarunt. Quidam enim μετεμψυχωσιν impiis tantum tribuunt, de piis adserentes: illorum animas statim post mortem coelestibus corporibus amictas ad coelestem transire felicitatem. Alii autem tam piorum quam impiorum animas migrare existimant, eo tamen discrimine, vt piorum animas in animalia sacra, impiorum vero in impura migrare arbitrentur, Quidam plane tacent μετεμψυχωσιν, adserunt enim: animas abire ad inferiorem locum, quem Amenthem, i. e. dantem et accipientem nuncupant. Alii e contrario: animas ascendere in solem et stellas, contendunt, ex quibus penitus purgatae in deorum concilia peruenirent *a*).

a) conf.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0046
DFG

a) conf. MOSHEMII notas ad Cudworthi syst. intellect. pag. 365. seqq. et Ven. BRVCKERI *hist. philos.* tom. I. pag. 296.

§. VI.

Ab Aegyptiis deinceps PYTHAGORAS hanc doctrinam accipiens primus illam in Graeciam intulit. Quemadmodum autem multi sunt, qui Pythagoram pro primo μετεμψυχωτεως inuentore venditant, ab aliis tamen satis refutati, ita etiam non desunt, qui plane dubitant, an Pythagoras vmquam animarum migrationem statuerit. Ipse AVGVSTINVS *a*) et multi alii, tempore sequenti, ita de Pythagora et omnibus illius aetatis philosophis cogitarunt, adferentes: Pythagoram et alios metaphoricam tantum migrationem docuisse, ad terrendos impios homines excogitatam. Ipsi quidem nobis persuadere non possumus, Pythagoram credidisse hoc absurdissimum commentum, quod ex verbis TIMAEI LOCRI, infra allegatis, satis adparet *b*), interim tamen, illum etiam non docuisse μετεμψυχωσιν exstantibus tam multis variisque huius rei testimoniis, id horum tantum nescii negabunt. *Notatur Pythagoras.*

a) AVGVSTINVS lib. 7. *de genesi ad litteram* cap. 10.

b) TIMAEVS LOCRVS de anima mundi: ως γαρ τα σωματα νοσωδισει ποκα υγιαζυμις εικα μη εικη τοις υγιεινοτα τοις ϐτω τας ψυχας απειργομις ψευδεσι λογοις, εικα μη αγηταις αλαθεσι· λεγοιντο δ' αναγκαιως και τιμωριαιζεναι, ως μετενδυομεναν την ψυχαν, των μεν δειλων, εις γυναικια σκανια, ποθ' υρριν εκδιδομενα των δε μιαιφονων, εις θηριων σωματα ποτι κολασιν. Λαγνων δ' εις συων η καπρων μορφας. κϐφων δε και μετεωρων, εις πτηνων αεροπορων, αργων δε και απρακτων, αμαθων δε και ανοητων εις την των ενυδρων ιδεαν. κ. τ. λ.

§. VII.

Adnotarunt alii, PYTHAGORAM de semet ipso docuisse: *Indicatur*

quid de semetipso statuerit et quod interdixerit Pythagoras.

fuisse primum Aethalidem, Mercurii filium, ab hoc patre accepisse illum omnium rerum, quae in vita et morte acciderent, memoriam. Tempore belli troiani fuisse Euphorbum, deinde Hermotimum, postea Delium piscatorem, Pyrrhum deinceps et denique Pythagoram *a*). Tradunt alii: Pythagoram etiam interdixisse necationem pecorum atque esum illorum, ne fortasse quidam parentes suos obsonaret *b*).

a) LVCIANVS *in Dialog. Galli et Micelli.*

b) TERTVLLIANVS *in apologia aduersus gentiles.*

§. VIII.

Vera Pythagorae enarratur sententia.

Sed age! examinemus veram PYTHAGORAE de μετεμψυχωσει doctrinam. Obseruauimus iam: Aegyptios statuisse transmigrationem, cui finem dabant moralem, vt impii nimirum per hanc poenas luerent peccatorum. Sed ab hac doctrina ita recessit Pythagoras, vt docuerit μετεμψυχωσιν physicam et necessariam, ab omnibus hominibus, piis atque impiis exspectandam. Et hac ratione μετεμψυχωσεως potest vocari inuentor, physicae nimirum, Aegyptii licet, diu ante hanc doctrinam receperint *a*).

a) Fusius de μετεμψυχωσει pythagorica differit celeb. WARBVRTONVS *in der goetlichen Sendung Mosis* tom. I. p. 535.

§. VIIII.

Platonis.

PLATO deinceps recepit quidem doctrinam de μετεμψυχωσει, loco tamen physicae, quam praeceptor confitebatur, statuit cum Aegyptiis finem illius moralem. Non omnes etiam animas migrare docuit, sed illas tantum, quibus purgatio in alio corpore esset necessaria, vt hac acquisita dignae deinceps essent, quae cum Deo iterum vnirentur. Tradidit adhuc alias in scriptis suis de μετεμψυχωσει sententias:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0048
DFG

tias: Animas nimirum pro ratione vitae anteactae pecorum sortiri corpora, ita vt, quae cantui dediti fuissent, migrarent, e. g. in luscinias, quae sordibus, in porcos, quae fraudibus, in vulpes, quae latrociniis, in lupos etc. PLATONEM autem ipsum haec omnia minime credidisse, Warburtonus ex quibusdam illius dictis probare laborauit, lib. cit. tom. I. p. 551.

§. X.

Empedocles et μετεμψυχωσιν et μετενσωματωσιν docuit, quod ex illis DIOGENIS LAERTII adparet *a*):

Nam memini fueram quondam puer atque puella.
Plantaque et ignitus piscis pernixque volucris.

Empedoclis, Veterum Germanorum Druidum, Tartarorum, Indorum et gentium Malebarii.

De germanis veteribus narratur, illos docuisse tantum: animas in hominum corpora migrare *b*). De gallorum Druidibus refert IVLIVS CAESAR *c*): illos recepisse animarum transmigrationem. De Tartaris vide quae habet Ven. BRVCKERVS *d*), et quae disputat de Chekia, Indo *e*). Animas migrare ex vilioribus in meliora gradatim, donec mereantur corpus humanum, si autem iterum vitiis litarent, priorem fatalem periodum denuo subire. Gentes Malabaricae ab antiquis temporibus hunc errorem receperunt *f*). De hodiernis memorabile exemplum infra damus *g*).

a) DIOGENES LAERTIVS lib. 8. segm. 78. conf. BRVCKERVM in lib. cit. tom. I. pag. 1119.
b) *de germanis lege* S. V. WALCHIVM *in lexico philos.* sub titulo: *Selen Wanderung.*
c) IVLIVS CAESAR lib. 6. *de bello gallico* cap. 14. §. 5.
d) tom. 5. pag. 811.
e) tom. 5. pag. 819.
f) tom. 5. pag. 840.
g) Exstat *in der XXVII. Continuation der Berichte aus Ostindien*, quas edit S. V. D. D. GOTTHILF AVGVST. FRANCKIVS, vbi

pag. 276. seqq. sequentia leguntur: *Wegen der Lehre von der Seelen Wanderung gerieth vor 4 Jahren ein Capitain von einer Brigantine in Lebensgefahr. Und dieses geschahe in Mergim. Einem Ort gerade gegen Madras über. – – – Der Capitain gieng 2 oder 3 Tage vor seiner Abreise aus, am Strande einen Vogel zu schiessen, indem er nun ohnweit dem Strande einen Vogel siehet, legt er an, und schiest ihn todt. Es ist aber nicht weit davon ein Mann, der seine Geschaeffte auf seinem Lande hat, bey dem sich der Vogel immer sehen lassen. So bald der Capitain den Vogel getroffen, laeßt der Mann seine Hacke, oder was er in der Hand hat, fallen, und laeufft eilends in die Stadt. – – – – Es kommt eine starcke Wache, und nimt den Capitain in Arrest. Er wird in Ketten und Banden gelegt, und das Urtheil ist da: er muß sterben. – – Er wendet vor: er habe ia nur einen Vogel erschossen. Allein sie antworteten: es sey schon genug, wenn er es selbst gestünde. – – – – Dieses iammert einen Mohren. – – – Er kommt zu den Capitain ins Gefaengniß, und spricht: wenn er ihm 200 Thlr. geben wolte, so wolte er machen, daß er, seine Leute und sein Schiff wiederum auf freien Fuß gestellet werde. Der Capitain geht die Condition ein. Damit giebt er ihm Unterricht, wie dieses wegen der Seelen Wanderung geschehen. Er giebt ihm darauf einen Rath, wie er seine Sachen angriefen müsse. Als es nun an dem, daß der Capitain hingerichtet werden soll, so fragen sie ihn nochmals, obs wahr, daß er einen Vogel erschossen. Er antwortet, wie ihm der Mohr gelehret: ia, und ich habe dazu die groeste Ursache gehabt. Denn vor weniger Zeit starb mir mein Vater, und ich warff ihn in die See, da fuhr seine Seele in einen Fisch, und als ich vorgestern am Strande spatziren ging, sahe mich mein Vater in den Fische, und vor Freuden erhub er sich aus dem Wasser, dichte ans Ufer. Allein was geschah? Es kam des Bauern Vater, der ietzo ein Vogel ist, und fraß meinen Vater auf, darüber konte ich nichts anders als mich erzürnen, und mich, wegen meines Vaters wahren. Ich schlich demnach des Bauern Vater, den Vogel*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0050
DFG

gel nach, und ſchoß ihn todt, darum daß er meinen Vater hatte aufgefreſſen. Als das Oberhaupt in Mergim mit dem Rathe dieſes hoerete, gaben ſie dem Capitain recht, und ſagten: er haette nicht anders koennen, denn er haette es freilich nicht leiden koennen, daß des Bauern Vater ſeinen Vater aufgefreſſen. Alſobald wurde der Capitain vor unſchuldig erklaeret, die Ketten wurden ihm abgenommen, ſeine Leute wurden frei, und das Schiff, mit allen Gütern wieder loßgelaſſen.

§. XI.

Pergimus ad IVDAEOS, qui fortaſſe hunc errorem amplexi ſunt, cum gentilium philoſophia illis placere inciperet. *a*). Multis locus ille Sap. VIII, 19. 20. hanc μετεμψυχωσιν indigitare videtur. Tempore Chriſti, immo iam ante illud tempus, PHARISAEOS deprehendimus, μετεμψυχωσιν credentes, quorum tamen multi eo abierunt, vt immortalitatem et reſurrectionem in illa ponerent. Sadducaeorum quaeſtione forſitan permoti, quam ſoluere non poterant. Matth. XXII, 28. Credidiſſe autem Phariſaeos animarum transmigrationem, IOSEPHI teſtimonium euincit, quod in lib. *de bello Iudaico* lib. 2. cap. 12. legimus. Ibi enim teſtatur, Phariſaeos docuiſſe: immortalem vim eſſe animis et ſub terra poenas eſſe et praemia iis, qui virtuti aut vitio in vita addicti fuiſſent, et his aeternum carcerem propoſitum eſſe, illis vero facilem ad vitam reditum. Cui haec verba teſtimonium de reſurrectione mortuorum viderentur, perpendat, quae IOSEPHVS *de phariſaeis* lib. 18. antiquit. cap. 1. perhibet. ψυχην δε παταν μεν αφθαρτον, μεταβαινειν δε εις ετερον σωμα, την των αγαθων μονων, την δε των φαυλων αιδιω τιμωρια κολαζεσθαι.

Inter Iudaeos receperunt hanc ſententiam Phariſaei.

a) Ipſe R. *Menaſſe ben Iſrael in Niſchmath Chajim* fol. 152. prouocat ad Pythagoram, Platonem, Virgilium et alios, proditque, ex quibus fontibus illa doctrina ab illis hauſta ſit.

§. XII.

§. XII.

Notantur quaedam scripturae dicta.

Sunt etiam, qui in quibusdam noui testamenti dictis hunc errorem se deprehendisse putant, quorsum spectant Matth. XVI, 14. Luc. VIIII, 8. Qui Christi discipulis eundem errorem impingunt, prouocant ad Ioan. VIIII, 2. Immo sunt etiam, qui Herodem huic errori deditum fuisse, ex Matth. XIIII, 2. concludunt, vbi Christum, Ioannem a mortuis resuscitatum esse existimat *a*). Docuerunt praeterea Iudaei: animam Adami migrasse in Dauidem, et ex Dauide venire in Messiam. Quod innui existimant tribus litteris אדם, vt per Rasche Theboth, א significet Adamum, ד Dauidem, ם Messiam. Animam Abelis migrasse in Sethum, ex Setho in Mosen, immo animam Pinehae migrasse in Eliam, et animam Ieremiae in Zachariam arbitrantur.

a) Inter gentiles saltem ea interceſſit consuetudo, vt, si heros quidam exstitit, qui expressit mortui cuiusdam herois vel faciem vel merita, illi imponerent defuncti herois nomen, credentes: animam huius in illam migrasse.

§. XIII.

Plurimorum Iudaeorum cepit animos.

Haec interim doctrina adeo postea familiaris fuit Iudaeis, vt *R. Menasse ben Israel* in *Nischmath Chaiim* testetur: nullum Iudaeorum contradicere, praeter *Rabbi Saadiam Gaon*, *Salomon. ben Addereth* et *Ioseph. Albo.* Addimus *R. Beniamin Tudelensem*, qui defensores huius doctrinae paganitatis et Atheismi reos iudicat *a*).

a) conf. WINDETVM in lib. *de vita functorum statu* pag. 101.

§. XIIII.

Talmud etiam impiis migrat. tribuit.

Quemadmodum Pharisaei piis tantum μετεμψυχωσιν tribuebant, ita multi Iudaei postea impiorum tantum animas migrare credebant, quod et ipse Talmud illorum profitetur. Si IOSEPHVS illorum sententiam de Daemoniacis refert, dicit,

cit, illos credidisse πονηρων ανθρωπων πνευματα τοις ζωσιν εισδυομενα *a*). Statuunt autem, impiorum animas ideo migrare, vt a peccatis purgarentur, et migrationem fieri triplici vice. Si anima secunda vice nondum esset purgata, tunc mutare sexum, et si tertia nihil efficeret, illam hominem penitus exuentem, pro scelerum indole brutescere. Triplici autem vice fieri, *R. Simeon* probat ex Iobi XXXIII, 29. *Ecce haec Deus facit bis vel ter.* Et super tertiam nullam amplius inuenire locum, ex Amos I, 3. euincere studet: *et super quatuor non faciam reuerti eum. b*)

a) conf. CVDWORTHI *syst. intellect.* pag. 852.

b) vide WINDETVM in lib. cit. pag. 101. seqq. et BISCOE *in der Erlaeuterung der Apostel Geschichte aus der allgemeinen Welt-Geschichte* ex versione Ven. RAMBACHII pag. 60. seqq.

§. XV.

Disseritur etiam de μετεμψυχωσει in Iudaeorum Cabbala.

Supereſt, vt adhuc indicemus, etiam in Iudaeorum *Cabbala* multa de hac μετεμψυχωσει disputari. Mentionem facit *Cabbala* reuolutionis animarum, quae vocatur *Gilgul Hanneschamoth*, et quae a reuolutione corporum bene debet distingui *a*). Fieri autem putat hanc animarum migrationem partim per *Embryonatum*, partim per *reuolutionem propriam.* Illam, quae fit per *Embryonatum*, *Ibbur* vocant, illam vero per reuolutionem propriam dicunt *Gilgul. Ibbur* est, si anima defuncti immittitur in corpus infantis. *Gilgul* vero, si anima in alium, anima iam praeditum, migrat *b*).

a) Illa vocatur a Iudaeis *Gilgul Hamethim* reuolutio mortuorum, item *Gilgul Hamegiloth*, reuolutio cauernarum. Credunt enim, neminem posse resurgere, nisi in terra Canaan, fieri igitur, vt corpora illorum, extra palaestinam defunctorum, per subterraneas cauernas deuoluerentur in terram Canaan, quae resurrectio a Iudais etiam causa habetur, quare

patriarchae, in terra palaestinae sepeliri, mandauerint. Confer. RELANDI *Palaestina* p. 20. seq. Multi etiam Iudaei, ne talis fiat corporum illorum reuolutio, in palaestinam proficiscuntur, vt ibi sepeliantur, quod et videri potest, in IONAS KORTENS *Reise nach dem gelobten, nunmehro aber unter dem Fluch liegenden Lande* pag. 101.

b) Conf. ISAACI LORIIAE librum *de reuolutione anim.* b. BVDDEI *introduct. in philos. Ebraeorum* pag. 364. seqq. Ven. BRVCKERI *hist. philos.* tom. 2. pag. 904. seqq. et 1047. et PAVLI SLEVOGTII diss. de *μετεμψυχωσει Iudaeorum*, quae est disp. XXXV. in dissertationibus academicis.

§. XVI.

Notantur denique quidam huius erroris in ecclesia christiana fautores.

Properamus ad Christianos. In primis statim a Christo nato saeculis deprehendimus CARPOCRATITAS, MARCIONITAS et omnes illos, qui a *Gnosticorum* partibus fuerunt, praesertim MANICHAEOS *a*). De his enarrant scriptores: illos, propter hunc errorem, reiecisse agriculturam, quod agricolae, dum ararent, multas caedes committerent. In qualibet enim herba esse animam, iam cum agricola terram verteret, quot herbas tot animas illum interficere. Interim tamen illud peccatum illis condonari, qui reliquos MANICHAEOS sustentarent, illisque darent cibum *b*). Ex recentioribus *μετεμψυχωσεως* fautoribus nominamus FRANCISCVM MERCVRIVM *de* HELMONT, qui 1684. Londini edidit quaest. CC de renouatione animarum, refutatus a IOANNE SCHMIDIO in diss. *de multiplici animarum reditu in corpora c*).

a) EPIPHANIVS tom. 2. lib. 1. haeres. 27. et tom. 3. lib. 2. haeres. 42.

b) Confer quae disputat de hoc Manichaeorum errore Perillustris MOSHEMIVS in Commentariis *de rebus Christianorum* p. 867. sqq. et b. IOACH. HILDEBRANDVS *in hist. haeres.* p. 84.

c) Eandem sententiam habere videtur anonymus *in obseruat. Halens.* obseruat. 13. tom. 5. pag. 423.

CAPVT

CAPVT V.

QVOD DISSERIT DE LOCIS, IN QVIBVS ANIMAE DEGVNT SEPARATAE.

§. I.

Introitus.

Accedimus denique ad caput vltimum dissertationis nostrae, in quo, quantum fieri potest, breuiter praecipiemus de locis, quos animae a corpore separatae incolunt. Bene quidem animaduertimus, secundum veterum de loco ideam, qui illi extensionem adiunxerunt, animae non conuenire locum, quia tamquam substantia simplex extensionem habere nequit. Si autem, secundum recentiores, locus per modum coëxistendi cum aliis rebus explicatur, animis nostris πᾶ quoddam adsignari potest. *a*)

a) conf. celeb. REVSCHII *systema. metaphysicum* pag. 920. seqq.

§. II.

Non contenti fuerunt homines illis duobus, coelo nimirum atque inferno, sed multos adhuc alios excogitarunt, ad quos ablegari animas separatas, sibi voluerunt persuadere. Non sufficiunt septem loci a COMARINO indicati, coelum nimirum, infernus, purgatorium, limbus patrum, limbus infantum, locus refrigerii, et locus denique dispensationis, *a*) alii enim plures adhuc indicarunt. Nos potiores tantum enarrabimus, *purgatorii* historiam primum exhibituri.

a) COMARINVS in diss. *de bis mortuis*, quae recusa legitur in tractatu curioso, qui Francofurthi ad Moenum 1692. prodiit.

§. III.

Purgatorii definitio.

Purgatorium ex ipsorum pontificiorum descriptione locus est quidam, in quo, tamquam in carcere, post hanc vitam animae purgantur, quae in hac non plene purgatae fuerunt, vt nimirum sic purgatae in coelum ingredi valeant, quo nihil intrabit coinquinatum. BELLARMIN. lib. I. *de purgatorio* cap. I. pag. 571.

§. IIII.

Scriptura nescit purgatorium, quod et multi pontificii non diffitentur.

Fatuum hunc ignem plane ignorat codex sacer, fomitem illius licet anxie in illo quaerant pontificii. Immo quantum nos videre possumus, ne ipsi quidem libri scripturae apocryphi purgatorii vllo loco mentionem fecerunt. At quorsum haec disputamus? Veritas huius rei ita patet, vt ipsi pontificii resistere non valeant. Insignis quondam ecclesiae nostrae theologus b. IOANNES GERHARDVS multa collegit testimonia pontificiorum, qui, publice profiteri, ipsi non recusarunt: purgatorium non exstare in scriptura. Adlegat non tantum illos, qui, infirma esse, quae pro adstruendo purgatorio ex scripturis adferuntur, probe et candide agnouerunt, sed etiam, qui palam confessi sunt, scripturam sacram nullam huius ignis facere mentionem, synodus Tridentina, licet, Sessione 25. expresse dicat: ecclesiam ex sacris litteris docere; quod sit purgatorium, et RAYHINGIVS neget: posse proferri ex scriptoribus pontificiis aliquem, qui confessus fuerit: purgatorium destitui scripturae suffragio. Breuitatis gratia vnicum tantum citamus testimonium atque exemplum, Iesuitae nimirum COTTONII, qui adeo haesitauit hac in re, vt ex ipso Cacodaemone scisciari non dubitarit: e quo totius noui testamenti loco purgatorium commodissime fulciri possit atque statuminari. *a*) REINCKINGIVS, pius quondam Holsatiae Cancellarius, qui saepius

saepius audiuit Abbatem quendam pontificium differentem: purgatorium pium esse figmentum, aliud adhuc exemplum refert, *b*) de patribus quibusdam, coram principe moribundo, at purgatorii metu valde perturbato, profitentibus: purgatorium eum in finem excogitatum esse, quo impii et scelerati homines terreantur.

a) Vide insigniter et fusius hac de re differentem laudatum GERHARDVM *in Confess. catholica* lib. 2. part. 2. artic. IX. de *purgat.* pag. 941. seqq.

b) in scripto: *Leben der Sele im Tode*, quod exhibet V. E. LOESCHRVS, *in der Samlung der besten und neuern Schriften vom Zustande der Sele nach dem Tode.* pag. 316.

§. V.

Origo purgatorii deprehenditur in placitis gentilium.

Sed age! tempus est, vt in primam huius purgatorii originem inquiramus. Ne mireris, si primum huius doctrinae fontem ex ipsis gentilium placitis deriuamus. Sed forsitan nimium imponimus pontificiis? Forsitan iusta sunt PISTORII verba, qui, infernale mendacium esse, dicit, si quis, ex Platonica philosophia, dicat, ecclesiam purgatorium didicisse? *a*) Et satis quidem absurdum est, fidei articulos, in conciliis anathemate confirmatos ex putridis gentilium lacunis depromere. Si vero BELLARMINVM, insignem purgatorii defensorem consulimus, diserte pronuntiat: Ex communi opinione omnium gentium, Hebraeorum, Muhametanorum et gentilium, tam philosophorum quam poëtarum, rationem posse pro purgatorio desumi. *b*)

a) PISTORIVS *in Hodegeta* cap. 12. pag. 545.

b) BELLARMIN. *de purgat.* lib. 1. cap. XI. pag. 612.

§. VI.

Notatur inter illos Zo-

Adeamus igitur gentiles, qui, communi eruditorum concentu, omnium primi de purgatorio igne praeceperunt. *a*)

roaſter et Aegyptii.

Erudite ſatis obſeruauit VRSINVS: *b*) iam ante Platonis aetatem fuiſſe quendam, qui illud purgatorium docuerit. Primum exiſtimat *Zoroaſtrum*, qui tradidit: nondum perfecte pios non quidem tranſire in infernum, cruciari tamen illorum animas, corpore exutas, igne quodam, quo perfecte purgarentur. Huc etiam ſpectare nobis videntur, quae de animarum in ſolem et ſtellas itineribus fabulati ſunt *Aegyptii*, quod iter nullam aliam ob cauſſam inſtitui crediderunt, quam vt ab omnibus maculis, adhuc adhaerentibus, animae liberarentur.

a) Adiicimus verba MARTINI CHEMNITII et BALTHASAR MEISNERI. Ille *in exam. concil. Trident.* part. III. p. 529. ita diſſerit: Tota igitur ſtructura pontificii purgatorii exſtat in Platone, annis ante Chriſtum natum quadringentis, ex philoſophicis et poëticis fundamentis delineata. Hic vero opuſc. 2. *de indulgent.* pag. 1148. perhibet: Inuectum purgatorium primum eſt a diabolo in gentilismum, et inde ex philoſophia Platonis in eccleſiam.

b) In exercit. *de Zoroaſtro.*

§. VII.

Plato.

Poſt Zoroaſtrum PLATONEM quoque deprehendimus hanc doctrinam in quibusdam ſais ſcriptis tradentem, *a*) ad cuius conſenſum BELLARMINVS etiam et multi alii prouocant. Hic philoſophus hominum tria genera ſtatuit, primum illorum, qui propter peccatorum multitudinem inſanabiles eſſent, illosque coniici docuit in tartarum, vnde numquam poſſent euehere. Alterum illorum, qui excellenter ſancte viuerent, et hos ſuper aſcendere in puriſſimas habitationes, vbi ſine labore viuerent in futurum tempus. Tertium denique illorum, qui viuerent mediocriter, illosque per Acherontem in paludem, igne ardentem, deuehi, vbi peccatorum poenas exſoluerent, donec καθαιρόμενα abſoluerentur.

tur. In eodem libro, qui inscriptus est PHAEDON, adserit: animas per anni spatium commorari in purgatorio, et deinde illas eiicere fluctus. *b*)

a) *in Phaedone et Georgia.*

b) Vide verba eius allegata ab EVSEBIO *in praeparat. euangelica* lib. I. conf. b. BVDDEI dissert. de καθαρσει *pythagorico platonica*, quae penultima est *in analectis hist. philos.* Confer etiam WINDETVM in lib. *de vita functorum statu* pag. 199. seqq.

§. VIII.

Ex Graecia deinceps hoc dogma ad Romanos transiit, qui aeque, vt illorum scripta ostendunt, purgatorium ignem post mortem corporis crediderunt. Ipse CICERO: eorum animi, inquit, qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministris praebuerunt, impulsuque libidinum, voluptatibus obedientium, deorum et hominum iura violauerunt, corporibus elapsi, circum terram ipsam volutantur, nec hunc in locum, nisi multis exagitati saeculis, reuertuntur. *a*) VIRGILIVS etiam de hoc purgatorio cecinit: *Quidam etiam ex romanis.*

Quin et supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeae excedunt pestes: penitusque necesse est,
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis: Veterumque malorum
Supplicia expendunt. cet. *b*)

Pontificii etiam ARISTOTELEM, SENECAM et PLINIVM addunt. *c*) Huc etiam spectare videntur *Februa romanorum sacrificia*, quae facibus iuxta tumulum accensis pro defunctis illorumque requie, mense Februario, agere solebant.

a) CICERO *in somnio Scipionis* cap. IX.

b) VIRGILIVS lib. 6. *Aeneid.* v. 730. seqq.

c) Vide

e) Vide illorum testimonia allegata a GERHARDO *in confess. catholica* pag. 944. et *in loco de morte* pag. 145. Ille etiam in *confessione* pag. 944. allegat *Xauerium* lib. 4. epist. *Indicarum* adserentem; etiam Indos purgatorium credere, ex quo, sacerdotum precibus, quos Bonzios dicunt, se liberari putarent. Plurimi gentilium, qui purgationem animae post corporis mortem receperunt, posuerunt illam in μετεμψυχωσει.

§. VIIII.

Indicatur Iudaeorum de purgatorio sententia.

Pergimus ad Iudaeos, quibus etiam haec de purgatorio doctrina non displicuit, vt Magistri illorum in scriptis suis passim testantur. Non quidem igitur errat BELLARMINVS, si ad illorum prouocat consensum, vt ignis hic eo magis corroboretur; si vero ex 2 Maccab. cap. XII, 43–46. hanc Iudaeorum sententiam elicit, mirifice fallitur. *a*)

a) BELLARMINVS lib. *de purgat.* pag. 612.

§. X.

Certa erat Iudaeis persuasio: omnes Israelitas habere portionem in vita aeterna, illorumque nullum damnari. Ne tamen impii aliquid et impuri coelum ingrederetur, impiorum animas, post corporis fata, ignem transire purgatorium crediderunt. Temporis punctum certius determinari non potest, quo hoc dogma Iudaeis placere inceperit. Hoc interim certum est, iam ante Christum natum hoc dogma inter Iudaeos viguisse, quod ex Magistrorum HILLELIS et SCHAMMAI exemplis, quae deinceps dabimus, sole clarius adparet. *a*)

a) Aliam sententiam ingressus est WINDETVS in lib. *de vita functorum statu* pag. 202. Contendit nimirum: Iudaeos hoc dogma non a platonicis, sed ipsis demum christianis accepisse, illudque in Gemara, circa saeculum a Christo nato quintum composita, primum traditum esse. Verba eius haec sunt:

sunt: Mihi multo verisimilius videtur, Iudaeos non plausisse purgatorio Platonis, priusquam faex degeneris christianismi tantundem recepisset. Rabbinis enim nouum non est, scripta sua christianorum, quibuscum vna vixerint, non paucis opinionibus interpolare. cet. Respondet Ven. BRVCKERVS huic dubio *hist. philos.* tom. 2. pag. 903. hanc doctrinam ad Cabbalistica Iudaeorum mysteria pertinere, quae in principio non ita propalata inuenirentur, vt circa mediam aetatem factum esset. Perhibet etiam WITTSIVS *in Miscell. sacris* tom. 2. exercit. XXI. §. 16. pag. 558. esse opinionem doctissimorum scripturae interpretum: Christum ad hanc Iudaeorum respexisse doctrinam, quando docuit: blasphemiam contra Spiritum sanctum non remissum iri, neque in hoc saeculo, neque in futuro.

§. XI.

Si Iudaeorum igitur doctrinam de purgatorio in examen vocamus, non praetermittendum, illos etiam, Platonicorum exemplo, tria hominum genera statuere, primum nimirum perfecte bonorum, alterum perfecte malorum, vltimum mediorum. *a*) Perfecte iustos statim admitti ad Gan Eden siue Paradisum, tradunt; perfecte malos in gehennam detrudi; medios gaudio exclusos aliquot tempus manere, donec ipsorum animae mundentur.

a) Per medios homines illos intelligunt, qui sine acta poenitentia diem obeunt supremum, vel qui in vnum praeceptum, ex trecentis sexaginta quinque vetantibus, deliquerunt.

§. XII.

Exstruxerunt etiam, vt duabus partibus, malis nimirum et mediis, commode inseruiatur, duo domicilia, quorum alterum gehennam superiorem, alterum gehennam inferiorem dicunt. Ad superiorem ablegant medios, ad inferiorem perfecte mali amandantur. Ex superiori datur li-

beratio, ex inferiori non item. Superior praeterea septem habet receptacula, quorum alterum altero mitior, et quae permeanda sunt, donec ex mitissimo ad coelestia gaudia euehantur. Si praeterea Iudaeorum de purgatorio testimonia scire cupis, lege, quae Magistri IOSEPHVS ALBO et MENASSE *ben Israel* differunt. *b*)

a) IOSEPHVS ALBO in lib. *fundament.* serm. 4. cap. 24. pag. 151. haec habet: Supplicium Gehennae siue ad corpus ipsum, siue ad animam simul cum corpore, siue ad animam solam pertinuerit, pro vniuscuiusque diuerso statu ac conditione diuersum est. Fieri enim nequit, vt is, in quo partim bona partim mala existunt, maximis istis, quas memorauimus, cruciatibus, aeternum torqueatur. Peracto enim certo tempore supplicium illud cessabit, postquam improba illa peccandi consuetudo absterſa penitus et perpetua obliuione abolita fuerit.

b) *Menasse ben Israel* in lib. *de fragilit. hum.* §. 10. Inseruit, inquit, peccatis purgandis inferni poena, quae pro delicti quantitate intenditur et remittitur. Purgatae autem inferno a delictis animae, a Deo in paradisum recipiuntur, vt pro bonis operibus praemium consequantur.

§. XIII.

Hillel interim et discipuli eius, purgatorium reiicientes, Deum ad misericordiam se inclinaturum esse credebant, quod ex Ps. CXVI, 1–6. probare suscipiunt. *Schammai* autem et eius sectatores: medios homines per duodecim menses in gehenna superiori cruciari strenue adfirmabant, quod partim ex 1 Sam. XII, 6. *ducit in orcum et educit*, partim ex Zach. XIII, 9. *traducam tertiam partem per ignem*, probant. Purgatorium autem duodecim menses durare, ex Ies. LXVI, 23. *Eritque de mense in mensem*, fluere arbitrantur. *a*)

a) conf. POCOCKIVM *in notis miscell. ad portam Mosis* cap. 6. pag. 151.

§. XIV.

§. XIIII.

Per duodecim igitur menſes commorantur in purgatorio animae, quae ſunt mediae ſortis, in vnum enim praeceptum deliquerunt, quod ex trecentis ſexaginta quinque vetantibus conſtat, ſingulis igitur diebus, vnicum ex illis vetantibus erit redimendum. At nihil etiam poſt hoc temporis ſpatium detinet illos, quo minus ad aeterna gaudia progrediantur, ſi filii, (filiabus enim non licet,) vel cognati, per hoc tempus, quotidie orationem quandam recitant, quae incipit קדיש. Finiuntur ſtatim cruciatus, animaque euolat in hortum Edenis. Immo addunt Iudaei: Abrahamum poſt duodecim menſes ipſum deſcendere, atque reducere animas in ſtatum glorioſum. *a*)

a) Confer WINDETVM in lib. cit. pag. 192. GERHARDVM in *conf. cathol.* pag. 944. et POCOCKIVM in lib. cit. p. 151. ſqq. Si plura quoque de purgatorio Iudaeorum ſcire cupis, lege VOISINIVM in peculiari libro *de purgatorio ex mente Iudaeorum*, et WITTERI diſſ. *de hebraeorum purgatorio.*

§. XV.

Et Muhametanorum

Addimus ſtatim, ne deinceps hiſtoria pontificii purgatorii interrumpatur, etiam MVHAMETANOS hanc recepiſſe doctrinam. Et quid mirum, ſi homines, qui meritum Chriſti ignorant, probe tamen ſciunt, ad puriſſimum numen non accedere poſſe impurum, ſi, inquam, ad eiusmodi purgationem, quae fit per ignem, confugiunt? De Muhametanis interim non ſolum multi ſcriptores adfirmant, illos credere purgatorium, ſed ex ipſis illorum ſcriptis et doctrinae corpore id luculenter ſatis comprobari poteſt. Docent enim, animas medias eſſe in Berzach i. e. in purgatorio. Et ſi de igneo ponte ſomniant, quem tranſire debeant animae ſeparatae, quid indicant aliud, quam: credere illos purgatorium?

rium? Vide, quae saepius iam laudatus POCOCKIVS habet in lib. cit. cap. 7. pag. 249. seqq.

§. XVI.

Ad horum omnium consensum provocavit Bellarminus. Transitus fit ad christianos.

Hactenus explicauimus gentilium, Iudaeorum et Muhametanorum de purgatorio sententias, quas optime in rem suam conuertit BELLARMINVS. Ita vt mirum sit, quod addit GERHARDVS, *a*) quare ad ipsorum daemonum confessionem non prouocauerit, quos tamen Odilo abbas Cluniacensis plangentes audiuit, quod animae per missas et preces ex purgatorio liberarentur. Sed iam tempus est, vt ad ipsam pontificiorum de purgatorio doctrinam reuertamnr, illiusque historiam a primis suis initiis exhibeamus.

a) GERHARDVS *in loco de morte* pag. 193. a.

§. XVII.

Doctrina, quam Romano-catholici fundamentalem amplectuntur, ita vt mortale peccatum existiment, purgatorium negare, *a*) illiusque inficiatoribus sempiterna incendia ominentur *b*), haec, inquam, digna est, vt primordia et fata illius accuratius enarremus. Examinandum erit, num origo illius ab ipsis Christi et Apostolorum temporibus repetenda sit, vt sibi pontificii persuadent, licet non desint ex ipsorum fratribus, qui doctrinam de purgatorio sero cognitam et receptam esse ab ecclesia, ingenue fatentur. *c*)

a) Haec est sententia BARTHOL. FVMI, quam refert. GERHARDVS *conf. cathol.* pag. 940.

b) BELLARMINVS lib. I. *de purgat.* cap. 15. Qui tale purgatorium negat, in gehenna sempiterno incendio cruciandus erit.

c) GERHARDVS illos recensct, *conf. cathol.* pag. 950. seqq.

§. XVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0064
DFG

§. XVIII.

In tribus primis a Christo nato saeculis nulla fit mentio purgatorii.

Optime demonstrarunt ecclesiae nostrae theologi, in tribus primis a Christo nato saeculis, nihil de purgatorio, quale pontificii credunt, constitisse, licet circa finem saeculi quarti quidam, sed satis dubitanter, de illo fari susceperint. *a*) Patres ecclesiae, qui in tribus hisce saeculis floruerunt, nihil habent, ex quo pontificiorum purgatorium probari possit, immo ipsi hunc errorem saepius refellunt. Pensitemus modo verba GREGORII NAZIANZENI Orat. 42. μηδε, inquit, υπερ την νυκτα ταυτην εστι τις καθαρσις, post hanc noctem, (sic vitam praesentem nuncupat,) nullum supereſt purgatorium. *b*) Et orat. 15. in plagam grandinis perhibet: Iam esse tempus τε καθαρθηναι, postea vero fore, κολασεως καιρον, ε καθαρσεως. *c*) Audiamus CHRYSOSTOMVM. *d*) Veniet hora, inquit, quando theatrum huius vitae soluetur, et nullus postea certabit. Non est post huius vitae finem negotiatio. Dissoluto hocce theatro coronas mereri non datur. Hoc tempus est poenitentiae, illud iudicii, hoc agonum, illud coronarum, hoc laboris, illud quietis, hoc aerumnae, illud retributionis. Addimus denique et HIERONYMVM. *e*) Quando, inquit, anima vinculis laxata corporis, volandi, quo vult, siue, quo ire compellitur, habuerit libertatem aut ad inferos ducetur, de quibus scriptum est: in inferno quis confitebitur tibi? aut certe ad coelestia subleuabitur. *f*)

a) vid. IOACHIMI HILDEBRANDI *offertorium pro defunctis* cap. 15. pag. 113.

b) conf. HEINECCIVM *in der Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche* part. 2. cap. 9. pag. 402.

c) conf. SPANHEMII *introduct. in hist. eccl.* part. 1. pag. 371.

d) CHRYSOSTOMVS *in sermone de Euchar. in Encaen.*

e) HIERONYMVS *in Comment. in Amos* cap. 9.

f) Plura patrum testimonia collegit GERHARDVS *loco de morte* pag. 138.

§. XVIIII.

Preces pro defunctis nihil faciunt ad antiquitatem purgatorii probandam

Sed fortasse orationes pro defunctis aliquid efficiunt? fortasse prosunt pontificiis in stabilienda contra nos purgatorii antiquitate? Non ignoramus, pontificios ad preces hasce maxime prouocare, et diffiteri etiam non possumus, in saeculo a Christo nato secundo harum iam fieri mentionem. At de quo dicunt, nihil est. Non infitiamur: preces pro defunctis iam, ea tempestate, in vsu fuisse, sed illas ideo esse institutas, vt animae ex purgatorio liberarentur, id iure meritoque negamus. Non sequitur: primi christiani pro mortuis orarunt, ergo est purgatorium. Vnius rei plures esse possunt caussae. Potest ecclesia pro mortuis orare, licet non recipiat purgatorium, cuius rei ecclesia graeca exemplum esse potest, quae in hunc vsque diem preces fundit pro mortuis, purgatorium tamen diserte respuit.

§. XX.

Primi christiani etiam non intendunt precibus hisce purgatorium.

Primos Christianos precibus suis pro mortuis non intendisse illorum ex purgatorio liberationem, vel indicasse: dari purgatorium, ex ipsis patrum scriptis sole clarius adparet. Sic EPIPHANIVS contra Aërium preces pro mortuis deridentem euincit: pios statim post corporis mortem esse cum Christo, atque ideo non fieri preces, vt animi iuuentur, sed vt suum in defunctos amorem ostendant, atque viui in fide firmentur. *a*) Si praeterea oblationes in altari obferebant primi Christiani, non erat id sacrificium missaticum, sed defunctum in communione ecclesiae obiisse, eo ipso tantum indicare voluerunt. *b*) Accedit, vt TERTVLLIANVS monet: oblationes pro defunctis ideo fuisse nominatas, quia pauperes defuncti ex illis sepeliebantur. *c*)

a) EPI-

a) EPIPHANIVS *haeref.* 75.

b) conf. GEIERVM in diſſert. *de precibus pro defunctis.* HILDEBRANDI *offertorium pro defunctis*, et S. V. D. WALCHII *introduct. in libros ſymbol.* pag. 469. ſeqq.

c) TERTVLLIANVS *in Apologetico* cap. 39.

§. XXI.

Prouocatio ad conſtitutiones apoſtolicas cet. nihil efficit.

Prouocant quidem pontificii ad Conſtitutiones apoſtolicas, quas Clementi romano tribuunt, immo ad liturgiam Marci et Iacobi, *a*) vt plures taceamus, ex quibus orationem pro defunctis demonſtrare cupiunt. Sed ſcripta haec omnia ſuppoſititia eſſe, viri eruditi inuictis plane argumentis ſatis demonſtrarunt. *b*) Ponamus interim, largiamur: haec ſcripta eſſe genuina, certe ſalua res erit. In ſcriptis enim illis preces fiunt pro Patriarchis et Prophetis, pro Apoſtolis et Martyribus, immo ipſa beata virgo non excipitur. At iam quaero vos, pontificii! an illi ſint in purgatorio? Expedita enim res eſt: pontificios Gentilium et Iudaeorum more tria ſtatuere hominum genera, perfecte nimirum piorum, quos ſtatim ablegant in coelum, perfecte impiorum, quos ad infernum, piorum denique maculis adhuc conſperſorum, quos ad purgatorium amandant, quod BELLARMINVS in lib. *de purgatorio* ſatis diſtincte proponit.

a) Exhibet nobis illas liturgias IO. ALBERTVS FABRICIVS *in Codice apocrypho N. T.* part. III. pag. 1. ſeqq. et pag. 253. ſeqq.

b) vid. BVDDEI diſſ. *de origine miſſae pontif.* quae prima eſt in *ſyntagmate diſſ. academ.*

§. XXII.

Vt et prouocatio ad Tertullianum alios-que patres primitiuos.

Prouocant praeterea ad TERTVLLIANVM et multos alios patres, qui non obſcure indigitarunt: iuuari animas precibus viuentium, percipere illas multa et magna beneficia ex his precibus, immo refrigerium illis acquiri. Niſi hisce locutionibus patres primi aliam indicarent ſententiam, quam in

in cap. III. differt. noſtrae iam enarrauimus, animarum nimirum ſequeſtrationem vsque ad diem iudicii. Animas non prius peruenire ad viſionem Dei beatificam, quam in conſummatione ſaeculi. Eſſe illas in loco ſubterraneo, ibique finem mundi et reſurrectionem expectare. Crediderunt igitur patres, precibus pro defunctis tempus poſſe accelerari, quo pii ad viſionem Dei peruenire poſſent. Si igitur quaedam patrum dicta ὀνηρὰ quandam ſapiunt, non purgatorium ſed animarum ſequeſtrationem illos credidiſſe, indicant.

§. XXIII.

Ex Graecis Origenes et ex latinis Auguſtinus omnium primi purgatorium admiſerunt.

Ex Graecis interim patribus ORIGENES, ex latinis vero AVGVSTINVS primi veniunt purgatorii mentionem facientes, tempore autem, quo philoſophia Platonica magnis plauſtris in ciuitatem Chriſtianam inuecta erat. Philoſophia, quam antea Chriſtiani veluti mundanam reiecerant, iam adridet eccleſiae, vt illius antiſtites placita illius, ambabus, vt dicunt, manibus arripiant. Hoc non miraberis tamen, ſi in animum modo inducis; omnes fere eccleſiae patres ante conuerſionem fuiſſe gentilium philoſophorum diſcipulos, immo illos ipſos fuiſſe philoſophiae doctores. Qui igitur hanc doctrinam veluti cum lacte matris imbiberant, illamque a matris gremio erant deoſculati, hanc plane dimittere non poterant, cum ciuitati ſacrae adſcriberentur. Reconciliare potius Platonem cum Chriſto laborabant, et hinc nata eſt infelix mixtura, quae eccleſiae primam puritatem detraxit, vt non inique TERTVLLIANVM iudicaſſe arbitremur, qui philoſophos haereticorum eſſe patriarchas, contra Hermogenem ingenue fatetur.

§. XXIV.

ORIGENES igitur primus fuit, ſed et vltimus ex patribus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0068
DFG

bus graecis, cui haec de purgatorio sententia adrisit. Tradit illam in multis, quae exstant, homiliis; si autem petit, vt tacerent auditores hanc doctrinam, facit, vt inde colligamus, purgatorium eo tempore, (vixit autem seculo tertio,) nondum receptum esse ab ecclesia, sed fuisse adhuc priuatam, vt loqui amant, opinionem. Adnuere etiam noluit ecclesia orientalis huic purgatorio, quum hunc errorem in concilio Constantinop. secundo, (quod est oecumenicum quintum). sessione octaua publice damnauit. *a*). Errant interim, immo vehementer errant, qui tale sibi fingunt ORIGENIS purgatorium, quale statuunt pontificii. Docuit ORIGENES: omnes homines, pios atque impios, immo ipsos diabolos purgari, non post mortem, sed in consummatione saeculi, non expiationis et satisfactionis caussa, sed vt extirpetur peccatum, omnesque salui fiant. *b*) Hinc *pater misericordiae* et omnium ipsum sequentium *Patriarcha* vocatur. Et heu quantum distat hoc a purgatorio pontificiorum.

a) vid. HEINECCIVM in lib. cit. part. 2. cap. 9. pag. 401.
b) vid. Ven. BRVCK. in lib. cit. tom. 3. pag. 455.

§. XXV.

Transimus in ecclesiam latinam, vbi AVGVSTINVM, circa finem saeculi quarti, de purgatorio dubitanter loquentem audimus. Ita enim differit Hipponensium ille praesul: *a*) siue in hac tantum vita homines ista patiantur, siue etiam post hanc vitam talia iudicia subsequantur, non abhorret, quantum arbitror, a ratione veritatis iste intellectus huius sententiae. Et in alio libro: *b*) tale aliquid etiam post hanc vitam fieri, incredibile non est, et vtrum fiat, quaeri potest. Et denique: *c*) non redarguo, quia forsitan verum est. Quod quidem non ideo confirmo, quia non resisto. Ex quibus omnibus AVGVSTINVM quidem satis fluctuantem

cognoscimus, at concludimus etiam: hanc doctrinam in saeculo quarto nondum introductam esse ab ecclesia.

a) in lib. *de fide et operibus* cap. 16.
b) *in Enchiridio* cap. 69.
c) lib. 21. *de ciuit. Dei* cap. 26. et 24.

§. XXVI.

In saeculo 6to auctum est per multas visiones.

Durauit interim iste de purgatorio murmur vsque ad aetatem GREGORII MAGNI, romanorum episcopi, qui circa finem saeculi sexti sedem episcopalem obtinuit. Hic omni industria purgatorium incendit, et id non sine monachis follibus. Ne autem ecclesiae doctrinam obtruderet, quam scriptura nescit, et primorum saeculorum patres ignorarunt, adparitiones animarum, in purgatorio degentium in subsidium vocauit, quae adeo frequentes fuerunt, vt ipse GREGORIVS lib. 4. *Dialogorum* §. 41. quaerat: Cur in extremis temporibus tam multa de animabus clarescerent, quae antea latuerunt. *a*) Narrationes illorum adeo absurdae et ridiculae sunt, vt multi ex pontificiis ad illas prouocare, ipsi erubescant. Nullus fere eo tempore erat monachus, cui non anima adparuerit, vel qui animas non gementes audiuerit, vel noctu purgatorium maximo aestu ardentem non viderit, vel denique in somnio de animis liberandis monitus non fuerit. Haud difficile igitur erat, mentes populi per has artes capere, quas superstitio dudum occupauerat. Et ita surrexit populus doctrinae, per fabulas traditae, cuius in scriptura et primis patribus altum est silentium.

a) vid. HILDEBRANDI *offertorium pro defunctis* cap. 15. pag. 113. seqq.

§. XXVII.

Quod et in sequentibus saeculis factum est.

Aucta est in dies de purgatorio fabula. Visus est locus purgatorii monacho cuidam saeculi octaui veluti ignis piceumque flumen, bulliens et ardens, super quod lignum, pontis

pontis vice, positum, quod quaedam animae non titubantes transibant, quaedam vero de ligno praecipites cadebant in tartareum flumen, ibi non vno modo mergendae, hinc clariores speciosioresque in optatam ripam deferendae. *a*) Ingens quoque animarum numerus purgatorio, per preces viuentium ereptus est. Sic anima PASCHASII, VITALINAE, SEVERINI, FVRSAEI, DIETHELMI, immo ipsius TRAIANI flammas euasit, et illae, quod maxime miraberis, quae multa annorum millia in purgatorio debuissent cruciari, per vnam alteramue missam liberatae excesserunt. *b*)

a) vid. SPANHEMII *introduct. in hist. eccl.* pag. 668. et BELLARMIN. lib. cit. pag. 612.

b) Hic repetere liceat, quod HILDEBRANDVS in lib. cit. p. 124. recenset ex Marnixii alueario romano. *Selmessen*, *Selmessen*, addit auctor, *gehen allen andern weit vor*, *weil die Messe ein so gutes Zugpflaster*, *oder auf gut Niederlaendisch*, *ein Treck-Pflaster ist*, *welches nicht allein die Selen aus dem Fegefeuer*, *sondern auch das Geld aus dem Beutel ziehet*. *Und das* requiem aeternam *in der Messe 3 mahl gesungen*, *ist so ein kraeftig Schlaftrünklein zum einschlafen*, *daß die Selen der Verstorbenen davon schlafen*, *wie Ratten und Maulwürffe*, *also*, *daß sie keine Schmerzen fühlen*, *weder in dem Magen*, *noch in den Lenden*, *und werden in einem Schnapp so gesund*, *wie ein fauler Apfel auf einem faulen Stroh*. cet.

§. XXVIII.

In saeculo X. per Odilonem magna cepit incrementa.

In seculo decimo purgatorium maxima cepit incrementa, quae vero ODILONI debuit, ea aetate Abbati Cluniacensi. Hic non solum animam *Benedicti secundi* ex purgatorio igne liberauit, quae ipsi nigra forma adparuerat, sed promouit etiam festum omnium animarum, vt ipso auctore ingens animarum numerus quotannis ex purgatorio in coelum transilire possit. Hic enim transiit aliquando Aethnam, montem illum igniuomum, et transeuntis tam varii animarum soni-

sonitus aures implent, eiulantium et auxilia implorantium, vt subito misericordia correptus festum omnium animarum, pontifice confirmante, ordinauerit. Et sic inualuit haec doctrina magis ac magis, et altiores in dies egit radices, vt iam HVGO ETHERIANVS, saeculi duodecimi scriptor fateatur: suo tempore dogma de purgatorio penetrasse ab ortu solis vsque ad occasum, et ab aquilone vsque ad austrum. *a*)

a) In libro de anima corpore exuta, qui Coloniae 1540. primum prodiit testante V. E. LOESCHERO *im Vorbericht zur Samlung der besten und neuern Schriften vom Zustande der Sele nach dem Tode.*

§. XXVIIII.

In Concilio Florentino primum publice constituta est haec doctrina.

Hactenus autem haec fundamentalis doctrina ecclesiae pontificiae publico concilio nondum confirmata erat, cuius occasionem, saeculo demum decimo quinto, res Graecorum angustae dederunt. Concilio igitur *Florentino* ab Eugenio IV, romanorum pontifice, conuocato haec stabilita est de purgatorio doctrina, quam quidem tunc receperunt graeci, irritam autem fecerunt domum reuersi, maxime vero post mortem Palaeologi, graecorum imperatoris. *a*) Illi interim Graeci, qui viuunt Romae, purgatorium credere et confiteri tenentur. *b*)

a) Conf. WEISMANNI *hist. eccl.* tom. I. pag. 1271. seqq.
b) Conf. HEINECCIVM lib. cit. *im Anhange* pag. 13. seqq.

§. XXX.

In Concilio autem Tridentino anathemate confirmatur.

Impressit denique *Tridentina* synodus anathema veluti sigillum in hanc doctrinam, et obstante licet sacra scriptura, credi tamen et teneri illam ab omnibus christianis voluit. Sic enim sess. 6. can. 30. fulminatur: Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti, et reatum aeternae poenae deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus poenae temporalis exsoluendae vel

in

in hoc saeculo, vel in futuro purgatorio, antequam ad regnum coelorum aditus patere possit, anathema sit. *a*) Et denique in sess. nona et vltima sub Pio IV. die III. Decembris 1563. ita decernitur: Cum catholica ecclesia, spiritu sancto edocta, ex sacris litteris et antiqua patrum traditione in sacris conciliis et nouissime in hac oecumenica synodo docuerit: purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuuari; praecipit Synodus Episcopis, vt sanam de purgatorio doctrinam, a sanctis patribus et sacris conciliis traditam, a Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et vbique praedicari, diligenter studeant. *b*)

a) conf. S. V. D. D. SEMLERI *Sess. 6tae Concil. Tridcnt. exemplum* pag. 40.

b) conf. GERHARDI *conf. cathol.* pag. 940.

§. XXXI.

Multis tamen dissidet haec de purgatorio doctrina.

Omni interim tempore non defuerunt, quibus hic de purgatorio error minime placuit. In horum numerum primum referimus ecclesiam Graecam, quae numquam purgatorio adnuere voluit. *a*). Ad illam quoque pertinent Russorum, Abyssinorum, Coptitarum, Nestorianorum aliorumque ecclesia. *b*) In saeculo XII. negarunt purgatorium Petro-Brusiani, a Petro Bruis, gallo; Waldenses a Petro Waldo, mercatore, dicti. In saeculo XIII. fuerunt Albingenses. In saeculo XIV. Wichefitae, et saeculo XV Hussitae, *c*) qui omnes purgatorium fortiter negarunt, ipsis adserentibus pontificiis, apud GERHARDVM *in conf. cathol.* p. 944. seq.

a) conf. Metrophanis Critopuli confessionem, et confessionem orthodoxam, in qua non solum hunc de purgatorio errorem negatum sed et refutatum inuenies. Frustraneum igitur laborem nobis suscepisse videtur Leo Allatius, qui in peculiari libro, inscripto: *Consensus ecclesiae orientalis in doctrina*

de purgatorio. Romae 1640. euincere ſtudet: credere Graecos purgatorium.

b) conf. SPANHEMII *introduct. in hiſt. eccl.* pag. 981.

c) De Huſſitis quidam adhuc dubitant, quia error hic in concilio Conſtantienſi non indicatus atque damnatus fuit.

§. XXXII.

Defenditur Lutherus et eccleſia Lutherana.

Caeterum non negamus, b. LVTHERVM, adhuc monachum, purgatorium non credidiſſe ſolum, ſed et ſcriptis propugnaſſe, quod e. g. in diſſertatione Lipſiae ab ipſo habita factum eſſe, BELLARMINVS ipſi obiicit. *a*) Non infitiamur etiam, illum in primis, poſt egreſſum ex eccleſia pontificia, temporibus, nondum ſibi ſatis conſtitiſſe in hac doctrina, vt ipſe non diffitetur. Ab anno autem 1530. hunc errorem, plane et ex corde reieciſſe, ſcriptum aliquod Germanicum ſatis euincit, quod eodem anno publicauit, inque eo refutauit purgatorium, vt igitur merito miremur: dari pontificios, qui, LVTHERVM purgatorium ad mortem vsque credidiſſe et docuiſſe, contendere non erubeſcunt. *b*) Immo magis adhuc miramur, ſplendidum illud quorundam mendacium, purgatorium in Apologia auguſtanae confeſſionis eſſe adprobatum. *c*)

a) Saepius autem petiit ipſe Lutherus, vt haec ſcripta cum iudicio et commiſeratione legerentur.

b) vide exempla illorum apud GERHARDVM in *confeſſ. cathol.* pag. 989.

c) Quod ex his illius verbis eliciunt: Scimus veteres loqui de oratione pro mortuis, quam nos non prohibemus.

§. XXXIII.

Multi Fanatici non reiecerunt purgatorium.

Recentiori aetate multi ex Fanaticorum turba adprobarunt purgatorium, fortaſſe ex nimio ORIGENIS amore, cuius tamen error ſtatim in primis ſaeculis reiectus, et publico concilio damnatus eſt. Qui ſcripta *Poireti, Iacobi Böhmii, Gichte-*

Gichtelii, *Seizii* aliorumque perlegit, emundatorium animarum ignem, veluti vtiliſſimam et maximam veritatem praedicatam inueniet. Deſudarunt interim in his refutandis viri eruditi, ex quibus b. ITTIGIVM, *a*) et IO. WILHELM. IAEGERVM *b*) nominamus. Quidam etiam, nonnullos eccleſiae noſtrae Theologos, quos fanaticismi ſuſpectos habuerunt, purgatorio fauere, exiſtimarunt, quam tamen rem conſulto tacemus. *c*)

a) ITTIGIVS in diſſ. *de nouis fanaticorum purgatoriis*, Lipſiae 1703.

b) IO. WILHELM IAEGER in diſſ. *de noua animae purgatione poſt mortem.*

c) conf. WERNSDORFII diſſ. *de ſtatu animarum ſeparat.* in diſſ. academ. et LOESCHERI librum ſaepius citatum.

§. XXXIIII.

Agitur de limbo patrum atque infantum.

Purgatorio addimus hiſtoriam breuem de duobus limbis, patrum nimirum atque infantum. Patrum, qui in veteri teſtamento et ante ſaluatoris noſtri aduentum diem obierunt ſupremum. Infantum vero, qui ante acceptum baptismi ſacramentum rebus humanis valedixerunt.

§. XXXV.

Deſcriptio limbi patrum.

Limbus patrum itaque nobis deſcribitur in Catechismo Tridentino: Limbus patrum dicitur tertium receptaculi genus, in quo animae ſanctorum, ante Chriſti aduentum excipiebantur, ibique ſine vllo doloris ſenſu, beata redemtionis ſpe ſuſtentatae, quieta habitatione fruebantur. Erratis autem pontificii! neſcientes ſcripturam: agnum dici occiſum ab origine mundi, et Ieſum Chriſtum, heri, hodie et in ſaecula vocari eundem.

§. XXXVI.

Illius origo.

Non negamus interim, hunc errorem ſatis eſſe antiquum,

quum, inque primis a Christo nato seculis iam receptum, ex nimia fortasse scriptorum apocryphorum veneratione. Qui enim legit *Euangelium Nicodemi*, *a*) satis intelliget, tempore, quo conditum fuit spurium illud euangelium, satis iam notam fuisse hanc de limbo patrum doctrinam. Multos quoque patres ecclesiae hac in re haesitasse, THEOPHYLACTI, *b*) CYRILLI ALEXAND. BASILII, EPIPHANII, CYRILLI HIEROSOLYM. immo et AVGVSTINI exempla satis euincere valebunt, quibus etiam optime vsi sunt pontificii, pro veritate huius doctrinae licet nihil inde possit desumi.

a) Exhibet illud euangelium Nicodemi. IO. ALBERT. FABRICIVS part. 1. *Codicis apocryphi N. T.* pag. 238. seqq.

b) THEOPHYLACTVS ad Matth. 27. CYRILLVS ALEXAND. *in actis Ephesin.* BASILIVS *in Psalmum 48.* EPIPHANIVS *haeres.* 77. et 69. CYRILLVS *hierosol. Cat.* 4. et 14. et AVGVSTINVS lib. 20. *de ciuit. Dei* cap. 15.

Duratio.

§. XXXVII.

Durauit interim iste patrum Limbus, quem poenam damni temporalem nuncupant, vsque ad Christi descensum, qui factus est ad inferos. Hic enim, vt somniant pontificii, non eum in finem descendit, vt se victorem diabolis ostenderet, sed in limbo patrum adparuit, et ideo quidem, vt illos omnes in coelum reduceret. *a*) Latro cum Christo crucifixus primus euasit limbum, atque statim post mortem ad coelestia migrauit gaudia *b*). Et sic clausus est ille limbus, qui ingentem receperat animarum numerum; quem vero pontificii tantum christianis aperuerunt et clauserunt, licet non habeant clauem aperientem et nemini claudentem, claudentem, et nemini aperientem.

a) BELLARMINVS lib. 4. *de Christo* cap. 16. FEVARDENTIVS lib. 7. *Theomach.* cap. 1.

b) *Euangelium Nicodemi* pag. 292.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Adeo immiſericordes ſunt pontificii, vt ipſis paruulis, quorum tamen, teſtante ſcriptura, eſt regnum coelorum, ante baptismum exſtinctis limbum quendam, quem poenam damni perpetuam dicunt, adſignare non deteſtentur. Si originem huius erroris ſcire cupis, quaere illum in errore de abſoluta baptismi neceſſitate, qui iam in primis ſaeculis brachia ſuſtulit, ex male intellectis quibusdam ſcripturae oraculis ortus. *a*) Sic error producit errorem! Quum enim baptismum abſolute neceſſarium haberent ad ſalutem conſequendam, omnes infantes damnarunt, qui ante acceptum ſacrum hoc lauacrum rebus humanis eripiuntur. Immo adeo neceſſarium duxerunt illum, vt omnes v. t. fideles, neſcio per quam aquam, baptizatos exiſtiment, *b*) et latronem per aquam, ex Chriſti latere profluentem, baptizatum eſſe, ipſe AVGVSTINVS nugetur. *c*) AVGVSTINVS interim ſatis dubius loquutus erat in principio de damnatione infantum αβαπτιϛων, donec in diſputatione aduerſus Pelagianos qui infantibus, ſine baptismo defunctis, ſecundae, vt dicunt, felicitatis locum adſcripſerunt, ex nimio diſputationis feruore, infantes illos aeternis ſuppliciis mactari, adſeruerit. *Limbus infantum et illius origo.*

a) Decepti ſunt praeterea primi chriſtiani ſpuriis Hermae viſionibus et Nicodemi euangelio, in quibus ſcriptis neceſſitas baptismi valde vrgetur.

b) THEODORVS ABVCARAS contendit: fidelium V. T. animas in elementa poſt corporis mortem reſolutas, per aquam, quae ex perfoſſo Chriſti latere effluxit, et ipſa quoque in elementa reſoluta eſt, fuiſſe baptizatos. conf. b. ITTIGII *exercit. theologicas* pag. 60. ſeqq.

c) AVGVSTINVS lib. *de baptismo* lib. 4. cap. 22.

§. XXXVIIII.

Ex hac igitur ſententia ortus eſt ille limbus infantum, *Ipſi pontificii circa*

statum illius dissentiunt.

de quorum tamen statu conuenire inter se non potuerunt. Quidam: illos aeterno igni tradi, existimant. Alii igne illos exsoluunt, ob defectum vero visionis Dei beatificae grauiter angi putant. Alii: ab omni dolore liberos naturali quadam felicitate frui arbitrantur. Dominicani in Concilio Tridentino adserebant: post resurrectionem illos in limbo, loco tenebricoso, sub terra, sed sine igne permansuros; Franciscani autem illos in locum, super terram, lucidum, transferebant, in quo ex philosophiae studio voluptatem magnam perciperent. Alii denique aliter senserunt. Fulgentius, in saeculo VI. clarus, non solum poenam damni, sed et sensus illis tribuit, cui adstipulatus est GREGORIVS M. Romanorum pontifex lib. XI. *moral. in Iobum* cap. 16. Alii autem poenam damni accipere arbitrati sunt, poenam sensus negarunt. Conf. ITTIGII lib. cit. pag. 94. seqq.

§. XL.

Litterae infantum ex purgatorio datae.

Certiores nos interim faciunt ipsi infantes, qui anno 1698. litteras; ex hoc limbo datas, Coloniae Agripinae typis exscribendas curarunt. Referunt in illis: se tempus suum vsque ad Christi aduentum iucunde transegisse, multa, a patriarchis narrata, singulari cum voluptate audiuisse. Saepe et angelos in limbum descendisse, et aliquos eius incolas in superiorem orbem reuocasse. Christum ad inferos descendentem non damnatis concionatum, apud quos operam perditurus fuisset, neque patriarchis, fide et consolatione plenis, sed concionem suam, cuius in epistola petrina mentio, ad infantes direxisse, illisque promisisse, quod post resurrectionem et iudicium terram occupaturi essent, nec amplius infantes futuri, sed eam constitutionem habituri, quam acquisituri fuissent, si 33. aetatis annum attigissent. cet. vid. ITTIGIVM in lib. cit. pag. 95. seqq.

§. XLI.

§. XLI.

Omni interim tempore, quod in fine notamus, non defuerunt in ipsa ecclesia pontificia, qui hunc de limbo errorem plane reiecerunt. In quorum numerum referimus: *Io. Gerson*, *Gabriel Biel*, *Thomam Caietanum*, *Tilemannum* Segebergensem, *Thomam Elisium* Neapolitanum et alios, quos GERHARDVS studiose collegit *in confess. cathol.* pag. 1109. seqq. et ITTIGIVS in lib. cit. pag. 99.

Multi pontificii reiecerunt hunc limbum.

§. XLII.

Antequam finem facimus, addimus adhuc breuem enarrationem vetustissimi cuiusdam erroris, qui gentilibus, Iudaeis et multis Christianis placuit: animas nimirum post iam factam dissolutionem apud cadaver vel paululum adhuc vel diutius permanere. Crediderunt gentiles: animas tam impense amare corpora, vt etiam post iam factam dissolutionem non possent auelli, nisi putredine repellerentur. Quidam interim de impiorum mentibus id sibi tantum persuaserunt, vt, illas circa sepulcrum vagari, atque spectra esse, quae aliquando cernantur, dixerint. Quidem vero hoc de illis adseruerunt, qui violenta perierunt morte, quorum animas tamdiu oberrare circa sepulcrum putant, quamdiu vixissent, si violenta morte non essent exstincti. Quidam sibi persuadent, hanc animae commorationem circa cadauer cessare, si illud humaretur; alii autem: etiam in sepulcro animam non recedere existimarunt. conf. GERHARDI locum *de morte* pag. 100. a.

Indicatur sententia multorum de commoratione animarum in sepulcro.

§. XLIII.

Ex hac gentilium opinione orta est illa *Necromantia*. Interrogarunt manes de rebus obscuris, et quidem loco, vbi corpora sepulta iacebant. Effundebant ante omnia sangui-

Ex hac sententia orta est Necromantia.

nem in sepulcrum, quem cibum animarum reputabant. Accedebant autem numquam nisi gladio cincti, ne animae non vocatae, quae tamen gladium timebant, sanguine quoque vescerentur. *a*)

a) vide, quae docte satis hac de re disputauit IOANNES SPENCERVS in lib. *de legibus hebraeorum ritualibus* p. 492. seqq.

§. XLIIII.

Et pollinctura apud Aegyptios.

Idem error pollincturae originem dedit apud Aegyptios. *a*) Crediderunt enim: animam manere apud corpus, donec putrescat, vt autem putredo eo serius corpus corriperet, et anima igitur eo diutius commorari apud corpus posset, illud pollingebant, praesertim cum μετεμψυχωσιν non pro beneficio sed poena Deorum reputarent. Aegyptii, inquit, SERVIVS, periti sapientiae condita diutius reseruant cadauera, scilicet vt anima multo tempore perduret, et corpori sit obnoxia, nec cito ad aliud transeat. *b*)

a) conf. WARBVRTONI *goetliche Sendung Mosis* ex versione et cum notis Ven. SCHMIDTII part. 2. pag. 280.
b) SERVIVS *in Virgil. Aeneid.* III. v. 67.

§. XLV.

Iudaei etiam hunc fouerunt errorem.

An etiam iste error Iudaeis, mortuos pollingendi, occasionem dederit, non ita liquet; hoc autem certum, illos eundem errorem fouere. Quod enim Magistri illorum de ascensu et descensu animarum disputant, donec corpus putrescat, satis indicare videtur, illos huic errori subscripsisse. *a*) Crediderunt praeterea; animam vagari per tres dies circa corpus, post hos dies autem incipere putredinem, et tunc ascendere animam ad suum locum. Quod discimus ex libro Bereschit Raba, qui haec habet: summus vigor luctus non est, nisi tertio die. Tribus diebus anima vagatur circa sepul-

sepulcrum expectans, vt redeat in corpus, cum vero videt, quod immutatur adspectus faciei, recedit et relinquit corpus. Verba Mariae Ioan. XI, 39. Κυριε, ηδη οζει, τεταρταιος γαρ εστι, idem indicare videntur.

a) vide POCOCKIVM in lib. saepius citato pag. 157.

§. XLVI.

Immo et multi christiani.

Eundem errorem multi etiam receperunt ex Christianis, vt eo felicius statum bis mortuorum explicare possent, atque indicare, quonam loco fuerint animae illae ante resuscitationem. Ipsam sacram scripturam in subsidium vocarunt, prouocantes praesertim, ad dictum Act. XX, 10. η ψυχη αυτ8 εν αυτῳ εστιν, et alia. Vt quosdam tantum nominemus, fuit inter illos BELLARMINVS, qui animam Lazari et similium ad hanc mortalium vitam resuscitatorum, in suo corpore quidem mansisse, sed vnione personali diuinitus soluta, adserit. Idem contendunt Iesuitae Coimbracenses *de anima separata* disp. 6. et GREGORIVS de VALENTIA contendit, nihil obstare, quo minus etiam in diuulsis corporis partibus anima commoretur, *in exam. myst. Caluin.* lib. 2. cap. 8. POLYCARPVS LYSERVS multis celeberrimis theologis hunc errorem tribuit, *in harm. ad Luc. XVII, 21.* Anno 1722. edidit M. IO. VITRIARIVS obseruationem *de statu animae separatae post mortem*, in qua idem euincere laborat, sed refutatus ab ADAMO ZAHN in disquisitione *de loco animae seu mentis a corpore penitus separatae* a).

a) Plures allegat ZEIBIGCHIVS in diss. *de statu animae Christi separatae* pag. 47.

§. XLVII.

Recensentur adhuc multa alia

Ad haec animarum habitacula pertinet etiam, quae gentiles fingunt *de campis Elysiis*, *de insulis fortunatis*, *de*

marum habitacula.

ciuitate Saturni. Quae alii tradunt de *coelo empyreo*, de *coelo ſtellarum*, praeſertim *via lactea.* Quae Manichaei ſomniant *de translatione animarum in lunam*, qua propter luna augeſcat, vel decreſcat, prouti animabus impleta ſit. Quae multi habent *de* ψυχοδωχεῖς, *de abditis animarum receptaculis*, *de locis inuiſibilibus*, et vt reliqua taceamus, *de paradiſo terreſtri*, loco, qui tamen probabilius vel ſtatim poſt hominis lapſum, vel in diluuio deuaſtatus eſt. Amplexi ſunt hanc ſententiam non ſolum Iudaei, et praeſertim inter illos Eſſaei, ſed etiam Muhametani, immo primi eccleſiae patres illam non abnuerunt. Supereſt adhuc, inquit TERTVLLIANVS lib. *de anima, paradiſus terreſtris, et eſt domicilium ſanctarum animarum vsque ad diem iudicii.* vide GERHARD. *loco de morte* pag. 100. b. et LOESCHERI librum citatum pag. 550. 567. ſeqq.

§. XLVIII.

Diſſertationis epilogus.

Et ſic hactenus fata doctrinae *de ſtatu animarum ſeparatarum* deſcripſimus. Deponimus calamum, Deo immortali immortales gratias agentes, qui nobis vitam atque vires clementer ſuppeditauit, vt incepta pertexere, iam iam laeti queamus. Faxit illud ter venerabile Numen, vt a vanis, circa futurum noſtrum ſtatum, quaeſtionibus abſtinentes, animae noſtrae ſalutem μετὰ φόβου καὶ τρόμου curemus, vt pretioſa illa παραθηκη ſaluetur in die Domini noſtri, cuius honos nomenque et laudes in ſaecula ſaeculorum manebunt. Amen.

CLARIS-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0082
DFG

CLARISSIMO
BONARVM ARTIVM MAGISTRO,
ET
DISSERTATIONIS HVIVS SCRIPTORI
SAL. PLVR. DIC.
PRAESES.

Quamquam non ignoro amicorum litteras, officiosas inprimis, longissimas quasque, gratissimas esse: operam tamen dabo, vt breuissimas iam a me habeas, quod et dissertationis magnitudo copiosam appendicem supplementorumque accessionem, quibus lectores haud grauatim carebunt, non magis patitur, quam moras iter imperatum, a me certe non tardandum; et vel verbosissimus sermo vix cum parua mei erga TE amoris parte aequari poterit, et laudis ac dignitatis TVAE amplificatio nullis alienis testimoniis indiget, mea saltem commendatione parum iuuabitur, quem ipsa honorifica commentationis TVAE dedicatione verecundiorem in scribendo feciſti. Paucis igitur summatim commemorabo, quae tam de disputatione TVA, quam de laudabili stadii academici decursu cum maxime scribenda habeo, ne vel fidei disciplinae, in quam concessisti, deesse, vel virtutem et industriam TVAM destituere, aut minoris, quam par est, facere videar. Dissertationis argumentum, TVO arbitratu ex indice meo doctrinarum opportune disputandarum desumtum, non cuiuis, neque TIBI tractandum permissurus fuissem, nisi aliis documentis publicis et priuatis de industria et dexteritate TVA abunde constitisset, mihique doctrinae pariter ac diligentiae fidem reique bene gerendae spem antea feciſſes, quam nunc sine opis a me ferendae opportunitate, nedum necessitate, affatim a TE impletam et insigniter superatam esse TVA meaque causſa impense laetor. Quidquid enim hic comparet, TIBI soli debetur, cuius scriptum nullis meis lituris vel emendationibus immutatum facile approbaui, quod non solum aequissimis oculis vtor in legendis aliorum laboribus, academicis maximopere speciminibus, verum etiam a seuerioribus arbitris non sine supercilio improbari posse singulare hoc solertiae et eruditionis documentum satis cognitum et perspectum habui.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0083
DFG

bui. Quam ob rem vere et ex animo TIBI gratulor cum bonam et eximiam hanc vitae academicae, solemni actu publice finiendae, clausulam, tum integrum illius decursum aequabili virtutis studio inusitata plerisque virium contentione et commendabili praecocis ingenii felicitate confectum. Cuius TIBI eo certior testis sum et oculatior, quo diutius et frequentius TE integrum triennium, et quod excurrit, auscultatore, sesquiannum vero conuictore vsus fui et adhucdum vtor familiarius. Praeter auditiones enim venerandorum et celeberrimorum collegarum MICHAELIS, KNAPPII, LANGII et MEIERI, philologicas, theologicas, historicas, mathematicas et philosophicas, scholis meis dogmaticis, hermeneuticis, symbolicis, antitheticis, theologiae moralis, exegeticis in epistolas PAVLI ad *Colossenses* et *Hebraeos* atque exercitationibus disputandi assiduus interfuisti, et in apparatu bonarum litterarum, artium et scientiarum, theologis praesidio et ornamento futurarum, conquirendo et locupletando enixe et diligenter elaborasti, ne recentiorum quidem linguarum peregrinarum studio neglecto. Effecisti his rebus omnibus, vt non solum paucos abhinc menses ab amplissimo Philosophorum ordine magistri dignitatem impetraueris, verum etiam grauem nunc aduersariam constitutam habeas incredibilem bonorum, qui TE norunt, atque tot et tanta naturae, educationis et industriae beneficia diuinitus in TE cumulata intelligunt, de TE exspectationem, vincendam tamen, si TECUM ipse certabis, domesticas imagines aemulaberis, DEOque TEMET ipsum consecrabis, atque doctrinae, quam disputas, nunquam immemor, aeternitati viues, ad vitae illico transiturae fructus capiendos comparatae. Domum redux venerando parenti TVO meis verbis officiosissime salutem plurimam dicas velim, omnibusque amicis communibus, quos mihi velle intelliges. Prosperet et fortunet DEVS O. M. gentem TVAM amplissimam, tuosque labores, consilia et studia, quorum successus meis etiam supplicationibus sibi habeat commendatissimos, atque diuturnam magnamque mihi, vt TIBI cupio, voluptatem ex felicitate TVA TVORVMque capiendam praestet indulgentissime. Dedi *Halae* ad *Salam* in academia *Frideric.* d. IIII id. *Ian.* cIↃIↃCCLIIII.

CLA-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0084
DFG

CLARISSIMO
PHILOSOPHIAE MAGISTRO,
DISSERTATIONIS HVIVS AVCTORI DOCTISSIMO
S. P. D.
SEBASTIANVS ANDREAS FABRICIVS.

Dexteritatis TVAE atque doctrinae quum hac ipsa scriptione, quae sub prelo sudat, nouum, VIR PRAENOBILISSIME, atque illustre documentum, post alia, edas, quae iam exstant, non id agam, vt in laudibus TVIS multus sim, ne iisdem mea commemoratione accessionem fieri posse, existimasse videar. Adeo enim bonis omnibus et vitae morumque rationem probasti, et tam conspicuus iam pridem fuisti industriae nomine, quam in sacris litteris scrutandis artibusque liberalibus comprehendendis felicissimo euentu adhibuisti, vt vel sine hoc nouo specimine summa cum laude ex celeberrima hac bonarum artium fide discessurus fuisses. Mitto igitur, quae in TVAM laudem amplissime a me dici possent, et quod mihi fuit in his litteris ad TE dandis consilium, sequor. Non committendum enim putaui, nullum vt de animo meo TIBI prorsus dedito exstaret testimonium. Numquam enim destiti, ex quo primum TE noui, ob egregiam, quae in TE est, indolem, TE amare. Postquam autem familiarius TE vti coepi, TVAque mihi magis in dies perspecta fuit et sinceritas in amando, et in studiis dexteritas, tantus ad amorem in TE meum accessit cumulus, vt nunc TE amare, antea dilexisse mihi videar, et abitum TVVM proxime instantem aequo animo vix ferre possem, nisi spes esset, amicitiae nostrae beneuolentiam erga me TVAE etiam discessu TVO atque absentia nihil detractum iri, quamvis fructu atque suauitate, quam ex consuetudine TVA capere adhuc quidem potui, mihi non sine animi molestia carendum fore praeuideam, quod tamen TVI desiderium perpetua TVI memoria, quae numquam ex animo decedet meo, quoad potero, leuare conabor. Gratulor interim TIBI stadium litterarium tam egregie decursum, gratulor hoc ipsum, quod in publicum edis, tam feliciter in litteris atque bonis artibus positae industriae specimen. Redeunti vero TIBI in patriam quaeuis fau-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0085
DFG

sta atque prospera voueo. Faxit DEVS, vt non modo sospes et incolumis patrios salutare possis lares, verum etiam vt ex ingenii dotibus, quas TIBI concessit eximias, vberrimus in ecclesiam remque publicam litterariam redundet fructus. Quod reliquum est, maxime REVERENDO PATRI obseruantissimam salutem, meo nomine, nuncies, votaque, quae pro IPSIVS AMPLISSIMAEque FAMILIAE VESTRAE incolumitate concipio prolixissima. TV vero, VIR CLARISSIME, vale, et mei memoriam, si non indignus visus fuero, conserua. D. Halae Magd. d. X. Ianuar. MDCCLIIII.

TO THE

MOST HONOUR'D MOST SKILFULL AND MOST LEARN'D

MASTER OF PHILOSOPHY

HIS DEAR AND BELOU'D FRIEND.

SIR

The restless Industry wherewith YOU have appley'd YOUR self, from YOUR most tender Years till now upon learning of good and usefull Sciences, which also the Almighty, has crown'd with his Blessings from above, in so much that the most excellent Teachers of Philosophy, we have here, have judg'd YOUR honourable Person most worthy to bestow upon it the highest Dignity of this Science, hath with allright brought forth in me a wonderfull Esteem against YOUR Person. Beyond that the tender Friendship whereof YOU have judged me worthy, ever since J have had the Honour to know YOU, and of the Sincreity whereof J have been most evidently convinc'd by so many Proofs YOU have given me thereof, has made totally my Heart YOUR own. Esteem therefore and Thankfulness command me for the present, where YOU have finish'd YOUR academical, Years in good Health and most gloriously, and where YOU have a mind to eternize YOUR Memory upon our University by a very learn'd Disputation, to present YOU publickly as well my due Congratulation as also my hearty and sincere wishes, that the Almighty may make YOU find in a short Time the best Occasions to shew YOUR Talents and to reap the wished for Fruits

Fruits of YOUR infatigable Studying and Lucubrations. As for the reſt, I beſeech YOU moſt humbly, if othet, wiſe I may in the leaſt deſerve YOUR Love, to thinkme alſo in the future worthy of YOUR Friendship, and as for me, I'll make it my Task to shew YOU at every Occaſion how much I am,

Moſt honour'd Sir

At Hall in Saxoni
Jan. the 10. 1754.

YOUR moſt humble and moſt obedient Servant

I. R. KLEINSCHMIDT,
Student of diuinity Oppon.

CLARISSIMO
PHILOSOPHIAE MAGISTRO
DISSERTATIONIS AVCTORI DOCTISSIMO
S. P. D.
G. D. KELLERHAVS, OPPON.

Solent equidem ad magnos honores emergenti, ſplendide gratulari adulatores, et multis verborum ambagibus conatus ſuos praetexere. Mihi autem non ſunt ex loginquo conquirendae rationes, quae me, publice amicitiam TIBI teſtandi, induxerint. Cum veri hominis proprium eſt, vt ex aliorum felicitatibus gaudium capiat ſincerrimum; quantum amici gaudium eſſe debet, qui meritis honoribus laborioſe acquiſitae doctrinae dilectum ſuum condecoratum videt? In publica vota prorumpat, neceſſe eſt. Multus in enarrandis dexteritatis ſpeciminibus eſſe poſſem; ſed quid iuuat hominem, quantulus ego ſum, de aliorum virtutibus ferre iudicium. Manum, praeſtat, de tabula. Doctioribus id relinquo, hi ex dato iudicent teſtimonio, quod adeo iucundum eſt, et vtile, quam graue. Hiſtoriam animarum ſeparatarum ex limpidiſſimis ſuis deriuare fontibus, hic labor! Nihil glorioſum iſtorum

rum iactitare curasti, qui, ex interpretum studio, sibi sapere videntur. Non inscius, nunquam per riuos deductam tam puram tamque sinceram, quam in origine haurire, aquam. Cumque eundo trahat sordes, et pro locorum ingeniis, per quae decurrit, saporem mutet. Et multa interpretes per oscitantiam, multa per ignorantiam peccant, et nemo tam cautus, tam circumspectus est, qui non aliquando somnum sibi patiatur obrepere, vt poetae illi faciat locum: Bonus interdum dormitat HOMERVS. Quid autem altera parte iucundius, quid amoenius, quam veterum sententias ex squalido puluere protrahere, et luci publicae, tamquam venales, in omni sua varietate, exponere. Multo melius cogitas, quam isti, qui hoc studium adeo infamarunt, vt nihil supra, vt ex veteribus TERTVLLIANVS, qui homine christiano studium veterum Philosophorum plane indignum censuit, quod tamen crescentis ecclesiae doctores suo exemplo probarunt: Vt CLEMENS ALEXANDRINVS, IVST. MARTYR, PHILASTRIVS, et alii: Hi enim cum LACTANTIO sentiebant: Nullam sectam Philosophorum fuisse tam inanem, quae non viderit aliquid ex vero, et totum religionis arcanum Philosophos attigisse, sed aliis refellentibus defendere, id quod inuenerant nequiuisse, quia singulis ratio non quadrauit. Si adeo saniora principia secutus sis, quid mirum, cum rempublicam litterariam adeo egregio dexteritatis specimine dones? Hunc inceptum tramitem prosequere feliciter, et fac, vt in multorum commoda crescas. Vt gaudium admodum VENERANDI senis patris TVI, quem Lippia suum veneratur Aaronem, in maius efferas per profundam tuam rerum diuinarum notitiam. Has perpende, has scrutare, non immemor, dicti illius perpetui conditoris IVLIANI: καν τον ετερον ποδα εν τη σορω εχω, προσμυθειν τε βελτιμην. Et sic in vsum vineae Domini tamquam sedulus operator, senescas. Tandem nihil magis ex TE peto, quam vt amicitia tua me in posterum non indignum censere velis, quae mihi semper sancta est, fuit et erit. Halae d. X Ianuarii MDCCLIIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0088
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0089
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0090
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0091
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862180856/phys_0092
DFG

noxios producunt effectus, a nobis nunc expenden-
hic quotidiana deprehendimus obseruatione, quod,
tenerorum delicatulorumque hominum molles ma-
corporis duri contrectatione aut tritu atteruntur,
tenera atque molliſſima cum nerueis cutis papillis
r, immo nonnunquam deſtruantur diſſoluanturque.
untur inflammatio, eroſio cuticulae, hydatides, quid?
protrahatur talis inconſuetus labor, veſiculae gan-
Quod ſi porro ſaepius frequentiusque repetatur talis
dum nimis comprimit exprimitque liquida ex vaſis
palmae et plantae manuum pedumque: efficit
illorum vaſculorum, *hinc tegumenta illarum par-*
reddit. Subinde quoque ex inflammatione cutis,
nominauimus loco, naſcuntur dein, poſtquam par-
ae iterum conſolidatae ſunt, claui in digitis pedum,
ro ganglia et oſſa ſeſamoidea. *Ex his itaque pa-*
oribus, loco motionis adhibitis, manus et pedes mi-
inc ad multas actiones, quibus deſtinantur, minus ido-
r geneſin autem excreſcentiarum praeternaturalium
vicinas partes neruoſas, et dolores inflammationes-

bus itaque, femellisque teneris nunquam conueniunt labores
inconſueti, motionis loco inſtituendi. Namque ſi vel
tendamus ad noxios effectus hic adductos: illis tamen,
eiusmodi labores nullum adferant delectamentum, nec
dio peragantur, neutiquam conducent: vt ſuperiori iam
tum dedimus commentatione (§. XXVI.).

§. XXX.

li porro hominum determinatione quaedam mo-
noxiae euadere poſſunt, ſi promiſcue adhibeantur.
m illarum partes quasdam corporis ſingulariter ad-
fit, vt, ſi in hominibus, qui ſingulari partis cu-